

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
4 A
16




PLACENTINI

IVRISCONSVLTI VETVSTISSIMI, IN summam Institutionũ siue elementorum D. IVSTINIANI sacratiss. principis, nunc denuò recogniti, LIBRI IIII.

EIVSDEM de uarietate Actionum, LIBRI VI.



Iustitia Domini manet in æternum.




ἡ δικαιοσύνη τοῦ κυρίου μένει εἰς τὸν αἰῶνα.



LVGD. APVD IOAN. FRELLÆVM, ET GVLIELMVM DE GVBLQVES.

M. D. XXXVI.



REVEREN-

DISSIMO IN CHRISTO PATRI, ET ILLVSTRISSIMO PRINcipi Ioanni à Metzenhusen Archiepiscopo Treuerensi, principi electori, sibiq; obseruandiss. Nicolaus Rhodius Chambergus S. D.



TSI, AMPLISSIME præsul, non didicissem antea, quàm esset arduum, quamq; difficile, in restituendis aliorum scriptis, & diligenter uersari, & accuratè: tamen in hoc ipso Placentino toties iã describendo, eodemq; exactius restituendo, hoc idem abundè experiri possem. Vsqueadeò rectè educare, quàm parere multò res est magis laboriosa. Siquidem ipsi Placẽtino in

prima harum summarũ fœtura, non tantum laboris, quãtum mihi in eadem denuò perpolienda, natum esse certò scio. Id quod inde uel maximè constare potest, dũ illam etiamnum informem & situ & carie uictam, reformo: dum propter unum aut alterum uerbum, totos non solum Pandectarum, sed & Codicis titulos, sursum atq; deorsum uerso: dum deniq; propter emendatiorem legendi rationem, ut fit quãdo in dubio est animus, paulo momento huc uel illuc impellor. Quæ sanè difficultas ab initio aliquandiu me solicitum tenebat. Meditanti itaq; institutum desererere omnino, mihi tandem in mentem uenit autoris cãdor, quem cum uiderem sine fuco omnia tractasse atq; candidè, non potui, quantum in me erat, eius quoq; honori deesse: idq; uel ob hoc potissimũ, quod Azo

& Accursius nostri illius opera adiuti, nunc fermè soli regnent: Placentino uero non maior quàm ueteribus calciamẽtis honor exhibeatur. Neq; uero unquam temerè hic meminissem Azonis: sed cum ipse in nostro illo, à quo tamen plurimũ profecit, sinistrè notãdo interim deprehendatur, non possum non pro uirili mea Placentini causæ adesse. In primis cõstat Azonem, suppresso autoris nomine, integris aliquãdo paginis Placentini, sua infarcire commentaria. Huic sanè facto est argumento titulus de Iustitia & iure, ubi id quod de iure ab Azone dicitur, ex Placẽtino mutuò sumptũ est omnino. Possem, ni lõgum esset, complureis id genus locos in mediũ proferre: sed ex uno disce omneis. Neq; tamẽ istud Azoni satis esse uideretur, nisi & nostrum aliquãdo argueret inscitiæ. Id quod

ea forsitã spe uisus est facere, ut, si dijs placet, eo magis cresceret: atq; nostro illo è memoria hominum abolito solus ipse celebraretur, in quo tamen antea facile erat uincere nõ extantem. Et ut tandẽ in rem præsentẽ ueniamus, operæpretium mihi uidetur me facturũ esse, si Azonis de Placẽtino iudiciũ paucis subiecero: Qui subtiliter, inquit, factum emẽdat, laudabilior est eo, qui prius inuenit: ut C. de uet. iur. enu. l. prima. §. quod autem. uersi. Nam qui. Scio siquidẽ quòd dominus Placẽtinus pręclarus & famosus Iurisperitus, apud Montem Pesulanum super Codice & Institutionibus summas laudabiles cõposuit, cuius dictis non proposui derogare. Nã licet in quibusdã minus plenè, in quibusdã ordine irregulari, & in quibusdã nõ obseruato tramite iuris, ita quòd confusè processisse ui-

deatur, nõ est tamen ab aliquo incul pandus: quia omniũ habere memoriã, & in nullo penitus peccare, diuinitatis est potius, quàm humanitatis. l.ij.C.de uet.iur.enu. Nunc autẽ ego Azo residens Bononiæ in iurisperitorũ ordine &c. Hactenus Azo. Iam primũ omniũ, bone Azo, id quod tu nobis laudi das, libenter tanquã nostrum agnoscimus: sed quòd ordinẽ reprehendis, facis id quidem non merito Placentini. Ordinem nanq; illum didacticum, in quo tu tantopere sumis tibi, nostrum esse asserimus: ipseq;, nisi tu teipsum ęquo plus amaueris, ultrò idem fatearis necesse est. At quid habes cedò in quo Placentinum uincas? argumentum legum, dices, & glossas tracto prolixius, nihilq; est, quantum & ad textum & glossas attinet, à me prætermissum. Esto: sed quid hoc est aliud quæso,

quàm ſcripta uelle numerare, nõ põ-
derare? id quod pergas ſanè facere,
modo ſine noſtro incommodo hoc
fiat. Noſter ingenuè aperteq́ profert
quid ipſe ſentiat: meo, inquit, iudi-
cio. Sed quid tu uel tui ſimilis ali-
quis? ſic Placentinus, ſic Irnerius, ſic
Bulgarus, ſic gloſſa, ſic ille, uel ille
ſentit. Quid hoc quæſo eſt aliud quã
ab aliorum perpetuo pendere iudi-
cio, nec liberè, neq́ ſimpliciter quid
ipſe de lege ſentias, uelle pronuncia-
re? Quod quidem meherde nõ eſſet
tantopere improbandum, ſi omni-
no ſimpliciter de legis uel uerbo, uel
ſententia eſſet controuerſia: ſed cum
hoc, de opinione multorum in tan-
ta diſſentientium multitudine com-
mittatur, quis nõ debet nõ iure opti-
mo cum Horatio exclamare?

O imitatores ſeruum pecus, ut mihi ſæpe
Bilem, ſæpe iocum ueſtri mouere tumultus!

Hinc certè multum mali est in exem
plo, ita ut aliquot in legibus esse an-
tinomiæ uideantur: hinc innumeræ
in ciuili iure dissentiones nascuntur:
hinc cõtra edictum Iustiniani infini-
ta scripturiẽtium turba quotidie ma
gis ac magis increbrescit, ita ut tan-
dem aliquãdo Triremis aliqua quã-
libet spatiosa atq; ampla, uix tãtam
librorum copiã sit exceptura. Qua
tamen in re, ut in alijs omnibus, uide
mus usu uenire, ut qui sint in iuris
traditione posteriores, tãtò esse prio
ribus deteriores, quantò à superio-
ribus lõgius absunt. Sed quo feror?
ut ad nostrum aliquando redeam.
Vixit hic noster sub Friderico ter-
tio, hoc est anno M. CC. Quod sa-
nè tempus si recte supputetur, faciet
annos centum & quinquaginta, ex
quo Iustinianus ueteres illas Roma
norum leges duobus millibus libris

antea contentas, opera & consilio Ioannis Patricij, Theophyli ac Dorothei consulum, nõ dico quàm utiliter, sed mira certe breuitate cõplexus est. Quo eodem tempore fuit quidam Vuernerus, siue quem altero nomine Irnerium uocant, hunc ferũt primũ esse ausum ius ciuile glossulis interpretari: sed eius hodie nihil, quod legatur, extat. Sunt qui dicunt nostri quoq; Placentini contẽporaneum fuisse quẽdam Ioannem, cognomine Bossianum: hic, ut fertur, summas in Codicem & Pandectas posteris reliquit, de quibus tamen nihil adhuc mihi compertũ est. Præter horum itaq;, & paucorum quorundam, si modo quidquã scripserunt, nõ facile reperiés quenquã, cuius tunc, exceptis Placentini, in ius ciuile compendia extarent. Tantopere omnes primum, à tanto tẽ-

poris interuallo, Iuſtiniani edictum reuerebantur, donec tandem ab uno atque altero poſt Placentinum facta irruptione certatim omnes cœperunt ædere in Ius ciuile commentaria: eoq́ demum res cœpit delabi, ut etiam deinde ſine uerecundia, alter alterius commentarijs pro ſuis auderet uti. Iam tum primum poſt ſeculum Iuſtiniani, opinionibus atque earum fructui altercationibus, locus eſt relictus. Itaq́, quemadmodũ uulgò dici ſolet: quot homines, tot ſententiæ. ita non iniuria dicere poſſis: quot interpretes iuris tot in iuris interpretatione factæ ſunt opiniones. At ſi Iuſtiniani mentem rectius intueri uelimus, nihil debet eſſe loci relictũ opinionibus in iure ciuili: imò uerò, quicũq́ ſequitur opiniones, certum aliquod, quod aſſequatur, habere nequit, maxime cũ hæc

ſit Iuſtiniani certiſſima uolũtas: quip pe qui ſuas leges ab omnibus ſciri ue lit & intelligi. Sed ſcientia eſt eorũ, uel Cicerone teſte, quæ ſic compre- hendũtur ut cõuelli ratione nõ poſ- ſint: ſin aliter, inſcientia appellatur. ex qua exiſtit etiã opinio, quæ eſt im becilla, & cum falſo incognitoq́ cõ- munis. Ad hæc quotus hodie quiſq́ eſt ex celebri iſtorum atq́ glorio- ſo ſcripturientium grege, qui apertè, qui liberè, qui ſyncerè deniq́, de legẽ quam in manus ſumpſerit interpre- tandã ſuam auſit proferre ſententiã: quin poſt inanem quãdam multorũ uerborum congeriem, nõ ſubijciat: Cum hac opinione, ut iſtorum uer- bis utar, tranſeũt cõmuniter Docto- res: uincas ergo ſubinde licebit, ſi à te fuerit maior interpretum numerus, legis uel ſanam interpretationẽ pau cioribus utcunq́ defendentibus. Fit

itaq; ut in certi petitione apud istos tales non pondere, sicut & paulò su-perius diximus, sed numero certetur. Sed quid ego nunc in re penitus de-plorata tam multis ago? doctiorum iamdudum fuit ista uetus atq; perpe tua querela. Pro deum atq; homi-num fidem, quàm multos bonæ spei iuuenes uel in primis reipub. natos, à iure ciuili sui quidem non difficul-tas, sed tractatus, non dico deterruit solum, sed & abalienauit omnino. Vnde si nũc uiueret uel ipse Cicero, cui iuris scientia uisa est facillima, ali ter profectò sentire cogeretur, cũ ta-mẽ omnia, ut ipsius uerbis utar, sint posita ante oculos in usu quotidia-no, in cõgressione hominum atq; in foro: necq; ita multis literis, aut uolu-minibus magnis cõtinentur: eadem enim sunt elata primum à pluribus, deinde paucis cõmutatis uerbis, etiã

ab ijsdẽ scriptoribus scripta sunt sæ-
pius. Accedit uerò quò facilius per-
cipi cognosciq; ius ciuile(quod mini
me pleriq; arbitrantur) mira quædã
in cognoscendo suauitas & delecta-
tio. Nam si quem aliena studia dele
ctant,plurima est,& in omni iure ci-
uili,& in pontificum libris, & in XII.
tabulis antiquitatis effigies,quod &
uerborum prisca uetustas cognosci-
tur,& actionũ genera quædam ma-
iorũ consuetudinem uitamq; decla-
rant. Siue quis ciuilem scientiam cõ
templetur, quam Scæuola non pu-
tat oratoris esse propriã, sed cuiusdã
ex alio genere prudentiæ,totam hãc
descriptis omnibus ciuitatis utilitati
bus ac partibus XII. tabulis contine-
ri uidebitis. Siue quem ista præpo-
tẽs & gloriosa philosophia delectat,
dicam audacius, hosce habet fontes
omnium disputationũ suarum , qui

iure ciuili & legibus continentur: ex his enim & dignitatem maximè expetendam uidemus, cũ uerus, iustus, atq; honestus labor, honoribus, pręmijs atq; splendore decoratur: uitia autem hominum atq; fraudes, damnis, ignomijs, uinculis, uerberibus, exilijs, morte multantur: & docemur non infinitis concertationumq; plenis disputationibus, sed autoritate nutuq; legum domitas habere libidines, coërcere omneis cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere. Fremãt omnes licet, dicã quod sentio, bibliothecas mehercule omnium philosophorũ unus mihi uidetur XII. tabularum libellus, si quis legum fontes & capita uiderit, & autoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare. His itaq; atq; id genus alijs rebus adductus Cicero, eã sciẽtiã facilę appellat: Dif-

ficilis, inquit, res ideo non putatur, quòd & perpaucis & minime obscuris literis continetur. Itaq; si mihi homini uehemēter occupato stomachū moueritis, triduò me Iurisc͠osultum esse profitebor. Etenim quæ de scripto agũtur, scripta sunt omnia, neq; tamen quicquã tam angustè scriptũ est, quo ego nôn possim, qua de re agitur, addere. Quæ c͠osuluntur autem, minimo periculo respondētur: si id quod oportet resp͠oderis, idem uideare resp͠odisse quod Seruius: sin aliter, etiã controuersum ius nosse & tractare uideare. At quorsum hæc tã multa? ut ostendã iuris ciuilis sciētiã cognitu non esse tam difficilē, quàm ab istis glossatoribus nunc fit, atq; olim aliter fuisse tractatam. Nã ueteres, ut apparet, rei propositæ argumentum aliquod tractantes, quoad eius fieri poterat, ab eiusmodi opinionibus

nionibus ſeſe abſtinebant: raroq̧ ad modũ & inuiti nonnunquam, ſi forte locus admoneret, in contrariã deſe rebantur opinionem. At iſti recẽtio res non ſatis ſe ſcriptitaſſe arbitran tur, niſi omniũ cõmentaria iam inde ab ipſo Iuſtiniano repetentes cumu lum quendam opinionum ſuis ipſo rum libris denuò coaceruẽt. Itaq̧ in hunc modum mihi uidentur imitari naturam Arethuſæ fontis: Nam, ut refert Plinius, quemadmodũ ea, quæ ſunt iacta in Alpheum amnem, eadẽ in Arethuſa fonte redduntur denuò & emergunt, ita quæcunq̧ de iure li teris mandauerũt Placẽtinus, Azo, Dinus, Bartolus, Cinus, ſiue huius fa rinę alius quiſquam, eadẽ iterũ apud unum aliquem recentiorũ licebit in uenire omnia ſimul cõſarcinata: ſed ita confuſa, ut niſi ſuperiorũ ſcripta ſingula legeris, ex iſtis poſterioribus

aut nihil aut parum fructus, si modo aliquis in eis est, facilè pceperis. Qua in re admonēdi quoq; sumus cauendū esse, ne temere legibus ab istis citatis, nisi lectis prius, fidē adhibeas, propterea quòd rē aliquādo præsentem ne minima quidē ex parte attingūt, adeò legū uel nūdinationi, uel auræ populari inseruiūt pleriq; omnes. Omnino uero, amplissime præsul, ut nūc tēpora, ut nūc sunt mores, ad hanc calamitatē mutandā altero Iustiniano nobis opus est, neq; hoc difficile, neq; factu esset inutile. Nā si Iustinianus, in tot tantisq; ueteribus Iuricōsultis, in quibus cū oīs antiquitatis ueterisq; philosophię, tū latinę linguę thesaurus fertur fuisse recōditus, est ausus hoc conari, conātiq; euētus itidē respōdit, quātò certe melius iustiusq; nūc idem fieret in tot barbaris, nihilq; prçter merā barbariē redo

lentibus leguleis. Nõ me fallit quorũ mihi in me odia nunc conciliẽ, sed illis quos ueritas offendit, respõsum uolo, me in Placẽtino defendẽdo aliter facere non potuisse: Quippe quẽ cum uiderẽ candidè omnia ac syncerè tractasse, dolebat mihi supra quã dici potest uehementer, idem ab istis recẽtioribus, qui tamen uolũt se omnium rerum esse facile primos, non esse factitatũ. Nil etenim in nostro illo Placẽtino est quod ab alijs sit emẽdicatum, nihil ab ipsis legibus alienum, nihil denicꝫ est in eo à quo legum studiosus abhorrere possit. Noster item ille Placẽtinus in opinionibus nõ est sanè multus: nã si quando de legis sententia certò affirmaturus est: meo, inqt iudicio, sic hoc uel hoc est intelligendũ: sin de legis sententia dubitat, summa cum modestia lectori eã exactius examinandã relinquit.

Tantopere uero à legũ uerbis depẽ-
det, ut earũ sæpius, quàm suisipsius
uerbis uti malit. Quid multis? huius-
ce rei periculũ aliquis faciat, profectò
hæc sic sese habere perdiscet. Sed ut
una hirundo, quod dicitur, non facit
uer: sic ex una paginula, ac prima frõ
te nostrũ illũ nemo iudicare debet.
Sed si qs est, qui in hoc sibi tẽperare
nõ possit, hũc talẽ prius totũ Placẽti
nũ, quàm suũ ĩterponat iudiciũ, per-
legat uehementer rogo obtestorq́;.
Quod ipsum tamẽ ut possit aliquis
efficere, dabo operã ut id quod reli-
quũ est Placentini, in lucem ædatur.
Extat enim adhuc penes me eiusdẽ
in Codicem epitome, siue summa; in
qua uir ille, nihil eorũ, quæ ad legum
cognitionẽ attinẽt, prætermisisse ui-
detur. Iam, amplissimè præsul, quo
cõmendatior etiã Placentinus exiret
in manus hominũ, hoc operę tuo no

mini dedicare uisum est. Egregia nā-
que magnorū artificū opera hoc ha-
bēt, ut ab his ipsis, quos nobilitāt, ple
rūq; plurimū sibi ornamēti cōparēt,
atq; autoritatis nō minus. Testātur
id Apellis, Lysimachi, Phidiæ claro-
rū uirorū præclara opa, q certè quāli
bet īsignes, nisi deorū clarorūq; uiro
rū imagines fingēdo pingēdoq; ex-
pressissent iādudū è memoria hoīm
essent obliterati. Multa preterea ual
de pretiosa ideo uidētur, quia sunt tē
plis dicata. Itaq; amplissime præsul,
hūc Placentinū, quātus quātus est, in
tuā tutelā do dono & cōcedo. Quod
si sensero tibi hoc quicquid est mune
ris placere, enitar sedulo, ut facultatē
mihi prius, quā animū hoīs grati me
morisq;, defuisse intelligatur. Ampli
tudinē interim tuam seruet dn̄s Iesus
Christus. Anno ab orbe redempto

M. D. XXXV. *octauo Idus Septembris.*

TITVLI INSTI TVTIONVM ORDINE ALPHABETI POSITI.

INDEX OMNIVM TITVLORVM IN LIBROS VI. DE VARIETATE ACTIONVM.

TITVLI LIBRI PRIMI.

TITVLI LIBRI SECVNDI.

TITVLI LIBRI TERTII.

TITVLI LIBRI QVARTI.

TITVLI LIBRI QVINTI.

TITVLI LIBRI SEXTI.

FINIS.

DE IVSTITIA ET IVRE,

TITVLVS PRIMVS.



VAE DE IVSTITIA & iure tractantur, meritò leges appellantur. Hæc enim inter cætera, quæ leguntur, nobis ad legendum proponuntur, & ueluti excellẽtiora, per Antonomasiam leges nuncupantur. Competenter enim dominus Iustinianus de iustitia & iure præmittit: de iustitia, utpote ex qua omnia iura emanãt, tanquàm ex fonte riuuli. Et de iure, quod est uniuersale, & de singulis quę sunt iura est prædicabile, uel de iure, id est, iuris scientia, siue de arte ista. Videamus itaq; quot modis dicat̃ ius, quid sit ius, quæ sint pręcepta iuris, quid lex, quid ratio, quid æquitas, & quid sit iurisprudẽtia, quid iustitia, & unde dicatur. Ius dicitur ars ista sicut iam dictum est. Ius dicitur de bono & æquo. Ius dicit̃ locus in quo iura reddũtur. Ius quoq; uocatur sanguinis necessitudo. Ius quoq; dicitur potestas, ut cum dicitur, hic est sui iuris. Ius quoq; dicitur instrumentum uel forma petendi ut actio est ius. Item ius dicitur iuris rigor. Sed & pulmentum ius ęquiuocè nuncupatur. Ius est ars boni & æqui, ergo per consequentiam mali & iniqui, potest enim intelligi ut hæc definitio sit huius artis, potest & dici ut sit definitio præcepti quod est de bono & æquo. Sequitur: iuris præcepta sunt tria, iuris inquam, id est iuris ar-

tis, uel iuris omnis quod præcipit, nec enim ius omne prçcipit, ſed omne quod præcipit, uel præcipit honeſte uiuere, uel alterum non lædere, uel ſuum cuiq; tribuere. Sed notãdum quòd hoc ultimum arctius hic accipitur quàm in definitione iuſtitiæ. Siquidem ibi complectitur hæc tria, hic autẽ illud ſolum, quod extra duo prima præcepta relinquitur. Lex eſt generalis ſanctio, cuncta iubens honeſta, prohibens contraria. Ergo ius legis eſt ſignificatum, lex, ut oratio quæ legitur, iuris eſt ſignificatura, ſicq; ius & lex ita ſe habent ut argumentum & argumentatio. Rationis nomen latius quàm iſta patet. nam & argumentum eſt ratio licet nõ ſit ius, dicitur quoq; ratio quia ſit æquitas. Aequitas eſt rerũ conuenientia, quæ paribus in cauſis paria iura deſiderat, & omnia bene coæquiparat, dicitũ quoq; æquitas quaſi æqualitas, & uertitur in rebus id eſt in dictis & factis hominum. Iuſtitia autem quieſcit in mentibus iuſtorum. Inde eſt quòd ſi proprie uelimus loqui, dicimus çquum iudiciũ, non iuſtum, & hominem iuſtum non æquũ, abutens tamen his appellationibus dicimus iudicem æquum, iudicium iuſtum. Iuris prudentia eſt ſcire quid ſit iuſtum, quid iniuſtum, quid illicitum in diuinis humanisq;, ſiue forenſibus negotijs. differt ergo multũ iuriſprudentia à iuſtitia. Siquidem iuriſprudentia præcipit ſiue dignoſcit, iuſtitia tribuit. Item iuſtitia eſt quoddam ſummum bonum, iuriſprudentia medium, item iuſtitia uirtus eſt, iuriſprudentia ſcientia. Reſtat ut exponamus quid ſit iuſtitia. Iuſtitia eſt ſecundum Platonem uirtus, quæ plurimum poteſt in his, qui minimum poſſunt, nẽpe in perſonis miſerabilibus euidẽtius clareſcit iuſtitia. Vel ut Tullius ait, Iuſtitia eſt habitus animi, communi utilitate cõſeruata, ſuam cuiq; tribu-

ens dignitatem,id est id quo dignus est:coronã, si bene meruerit:pœnam,si peccauerit.Iustinianus autem sic definit: Iustitia est perpetua & constans uoluntas &c. id est uoluntarium bonum,habitus mentis uoluntate nitens,ut sit definitio data per causam & effectum. Voluntas, id est uoluntarium bonum, nihil enim potest dici bonum nisi intercedente uoluntate. Tolle uoluntatem omnis actus est indifferens,quippe affectio tua uotum imponit operi tuo. Et alibi crimen non contrahitur nisi intercedat uolũtas nocendi,& alibi, uoluntas & propositum distinguunt maleficium,ergo & factum bonum. Vel ut alij dicunt:Iustitia est uoluntas constans & perpetua,id est iustitia est uirtus. Vel sicut ego puto uere & proprie:omnis iustitia est uolũtas, & omnis uoluntas talis,est iustitia.Et quia posset esse uoluntas inconstans ad differentiã additur constans.id est inuariabilis,quæ hominẽ facit constantem:& quia posset uolũtas esse constans & tẽporanea,additur perpetua,id est indeficiens uel ad omnia negotia patẽs.Et quia posset esse uoluntas constans & perpetua, esset tamen de tribuenda iniuria, additur tribuens ius suum cuiq;.Dicitur aũt tribuẽs propter aptitudinem & non in actu. Nec enim semper tribuit, sed ad tribuendum semper est apta. Ergo & omnis iustitia est uoluntas talis & omnis uolũtas talis conuertibiliter est iustitia.Nam cũ uoluntas talis est uirtus,hoc quoq; negari nõ põt,constatq;:quia non est fortitudo,tẽperantia,prudentia,relinqui ut sit iustitia. Quæritur quæ iustitia definiatur,& quid definitum sit? Iustitia semiplena,humana,nõ diuina.Opponitur autem: omnis uoluntas uariabilis est,& iustitia est uoluntas,ergo iustitia res uariabilis est. non sequitur, nam & hæc statua &c. Item opponitur.

quia de iustitia suum prędium, suum ius emphyteuticum alicui aufertur, non ergo suum ius eidem tribuitur: imò cum iustitia quid cui adimit illi ius suũ tribuit: ius inquam suũ, id est iustitiæ uel meritis suis quid fieri secundum iustitiam. Illud notandum quòd in hac definitione meritum æquiuoce ius appellatur nam quod meritum est uulgariter, ius nuncupatur legaliter. In summa illud notandum est, quia quòd dicitur suum ius cuiq;, intelligi debet non indiuidualiter sed generaliter, id est domino & sibi & proximo: domino, ut ipsum colat: proximo, ut ipsum repellendo nõ lædat, sibi ut honeste uiuat. Nempe nullus iustus, ius suum ualet tribuere cuiq;, ut melius puto, omnis iustus omni homini licet non re ipsa, mentis tamen suę uoto & proposito ius suum tribuit. Illud quoq; notandum est meo iudicio institiam dici constantem & perpetuam non ad differentiam, sed ad iustitiæ laudem, & remouendam quorundam prauã suspicionem damnantium iustitiam ob id quòd eum quem hodie iustitia fouet, in crastinum deseret, & qui hodie uincit cras succũbet. Sed certe & uinum ab alijs sumitur ad sobrietatem, ab alijs bibitur ad confusionem, alios lętificat, alios contristat, nec est culpa uini, sed culpa bibentis. Est autem dicta iustitia, quia in ea stant omnia iura. Sequitur: Huius studij duæ sunt positiões, id est duo rerũ genera in quibus posita est, id est de qbus loquitur hęc sciẽtia: Ius publicũ, res pub. ius priuatũ, res priuata. Vel aliter, duę sunt positiones, ius publicum id est scientia de rebus publicis, consistentibus in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus. & hæc scientia traditur in primo Codicis. Et ius priuatum, id est scientia de rebus priuatis. In summa illud sciendum est, quia ius publicum dicitur multis mo-

dis. Dicitur ius publicum scientia de rebus pu‑blicis, & dictum est ius publicum ius cõmune omnium, ut. C. de oper. pub. l. præscriptio. Dicitur quoq; ius publicum quod est cõstitutum in dominio cuiuscunq; rei publicæ, ut. C. de sacrosanct. eccle. l. ultima.

DE IVRE NATVRALI GENTIVM ET CIVILI.

TITV. II.

DVplex est iuris utilitas, terna est autoritas, natura, gens, ciuitas, sicq; ius aliud naturale, aliud gentile, aliud ciuile. Videamus quid sit unumquodq;, definiẽdo, exemplificando, differentiam assignando. Ius naturale est quod natura &c. & sic hoc nomen: quod, erit accusatiui casus, & hoc nomen: natura, erit nominatiui casus, uel dic quod nomẽ hoc, quod sit casus nominatiui, ut sic dicat quod docuit omnia animalia natura, id est per instinctum naturæ. Natura, id est deus, quia facit omnia nasci. Vnde Ouidius: Hanc deus & melior litem natura diremit. Est autem ius naturę per exemplum, prolẽ procreare, quod est permissionis: procreatam educare, quod est necessitatis, competitq; hoc ius communiter & animalibus brutis: ius naturale intelligo, non ipsum educationis actũ, sed animi præcedentẽ affectum, quo animal mouetur ad educandum. Ius gentile est, quo utũtur soli homines: suntq; hæc iura prodita aliàs propter utilitatem, ut iura cõmerciorum: aliàs propter necessitatem, ut iura bellorum: nam & bella iusta sunt ex parte iniurias propulsantiũ. Iura quoq; gentium sunt secũdum uirtutes, quæ sunt iuri naturali contrariæ & adeo contrariæ, ut, meo iudicio, libertatem perimãt, nam & im‑

perator ait, homines ab initio liberi nascebantur, ac si aperte diceret hodie non nascuntur. Et notandum quòd gentium iura dicuntur naturali ratione non à natura, & uersa uice, ius naturale dicitur ius gentiũ, ut infra de re. diui. & notandum quòd prima iura naturalia, id est gentium iura eadem sunt apud omneis gentes, & permanent immutabilia. Nec obloquitur, quòd liber homo captus libertatem amittit: quia licet libertas cuiusdam hominis pereat, libertas tamẽ in genere perseuerat, etiamsi quidam afferant libertatem in seruis fore naturali iure. Ius ciuile est, quod quæq; ciuitas sibi constituit, ut Romanorum, Narbonensium, ita tamen si non cõtra iura scripta. Ius autem ciuile plurimis modis dicitur. Ecce ius ciuile dicitur lex. xij. tabu. item ius ciuile dicitur scientia Romanarum legum, item ius ciuile dicitur ad differentiam iuris prætorij, item cum ius absolute dicimus, ius nostrum, id est Romanorum per excellẽtiam significamus. Ius autem nostrum, aliud scriptum aliud non scriptum. non scriptum dicitur quod moribus continetur: moribus inquam Romanè introductis & longæuis, id est memoriã excedẽtibus: sed ius tamen istud iura scripta non abrogat, ut. C. de long. cõsuet. Nam populus in principem transferẽdo communem potestatem, nullam sibi reseruauit, ergo potestatem leges scriptas condendi, interpretandi, & abrogãdi. Nec obstat quòd in. ff. de iure dicitur leges moribus abrogari, sic enim intelligo leges non scriptas contrarijs legibus non scriptis, id est moribus tolli. Sicut enim ius dicitur quia scriptũ est, ita & lex potest dici & scripta & non scripta & naturalis: ut infra, ergo iura scripta tantum tolluntur per scripta, iura non scripta tolluntur per nõ scripta, ergo multofortius & per scripta, repro-

batis aliis distinctionibus, ut ego in Codicis summa exposui. Iuris nostri scripti species sunt lex, plebiscitum, senatusconsultum, principum placita, magistratuum ædicta, responsa prudentium. Lex est quod populus uniuersus constituebat, ac si diceret: hodie non constituit nec destituit. Generaliter lex dicitur quicquid legitur minus late, quicquid de iustitia sancitur secundum hanc significationem in . ff. definitur, lex est commune præceptum &c. in arctissima significatione, lex populi censura appellatur, quæ hic definitur. Quæri potest quare lex sicut cæteræ iuris partes, non pluraliter, sed singulariter desīgnātur, forte ideō, quia populus ab initio communem potestatem habuit, & postea ab eodem in plures transfusa est, in principes, consules, prætores, imperatores. Principis placitum est imperialis sanctio, quæ per excellentiam uocatur Constitutio: quod enim principi placuit, legis habet uigorem, id est uicem: nam cum Imperator proprie sit uicarius eius censura licet non sit lex, legis habet uigorem, placuit inquam principi ut ius constituat, ita ut non contra dominum statuat uel naturam. Harum autem imperialium constitutionum, aliæ sunt generales & communes: quæ uoluminibus includuntur, nisi Imperator contrarium dixerit: aliæ sunt speciales & cõmunes quæ extrauagantes dicuntur, nisi contrarium Imperator expresserit: nam quando alicui indulget, personam non transgreditur, hoc ita si sine cuiusquam postulatione concesserit: si contra, transgreditur, ut. C. de litium expensis. lege ultima. quæ sint cæteræ iuris partes ipsa Institutionum euidenter insinuat series. Omne ius quo utimur scilicet priuatum, uel pertinet ad personas, id est loquimur de uarietate personarum,

uel pertinet ad res,id eſt differit de diuiſione re-
rum,uel pertinet ad actiones:id eſt diſputat de
diuerſitate actionum .Ergo licet omne ius perti
neat ad perſonas quoad cōmodum, non tamen
omne quo ad tractatum.Fit autem hoc ex æqui
tatibus tribus: prima eſt æquitas, qua quod eſt
meum:ſecunda,qua quod ſit mihi debitum:ter-
tia:qua perſequor utrunq; uel prima conſiſtit
in acquirendo,ſecunda in retinendo,tertia in a-
mittendo:uel prima conſiſtit in perſonis,quę &
quærunt & quæruntur, ſecunda in rebus quæ
quæruntur, tertia in actionibus, quibus quæri-
mus,& primo de perſonarum uarietatibus.

DE IVRE PERSONARVM. TITV. III.

PErſonarum diuiſio prima hæc eſt,quòd o-
mnes homines,aut ſunt liberi, aut ſunt ſer
ui.hæc autem locutio pluralis ſingulari-
ter intelligatur,id eſt, non eſt homo qui non ſit
liber ſeruus'ue. Quid de ſtatu libero dicemus?
utiq; ſeruus eſt, licet futurus liber, aſcriptitius
quoq;, meo iudicio liber eſt, licet ſit ſeruus gle-
bæ.libertus olim latinus & dedititius ergo mix
tæ cōditionis olim & quaſi liber & ſeruus uiue
bat,ſed pridē à nr̄a repub.receſſit . Et quia liber
à libertate,ſeruus à ſeruitute dicit̄, exponamus
quid ſit libertas,quid ſeruitus,unde dicātur ſer-
ui,& quibus modis homines dicantur uel ſint
uel fiant ſerui.Libertas eſt facultas naturalis,id
eſt licentia uel poteſtas à natura hominibus tri
buta,eius quod cuiq; facere libet, niſi prohibea
tur uel iure,uel ui . Sicut enim duplex eſt liber-
tas ſiue facultas & de iure & de facto,ita tali li-
bertati dupliciter reſiſtitur: & cōtrario facto,ut
ſi uelis ire prohibearis:& contrario iure,ut ſi ue
lit illicite nubere,repellatur.Ergo illa uerba ni-

ſi quid ui &c.non ſunt de definitione, ſed liber-tatis determinatione. Inſurgit oppoſitio, Ergo omnis ſeruus liber eſt & libertatem habet, in-quiunt quidam:eſto,ſunt enim, inquiũt, omnes liberi, licet non omnes uocentur liberi, inquiũt quidem omnes habent,licet debilitatam uel na turalem libertatem ſed nõ eius utilitatem. De-finitur libertas eo iure quo prodita eſt, ut unde eius ſubſtantia pendeat,inde definitio ſumatur atq; tradatur.Si ergo dicũt illi: iſta definitio cõ petit ſeruis:non eſt abſurdum,quia ſerui natura li iure ſunt liberi, hoc ego non probo. Sunt alij qui dicunt quod illa uerba : ex qua etiam liberi uocantur,ſunt de definitione,ut ſeruis definitio competere non poſſit, nec hæc ego probo.Sit er go talis definitio libertatis. Libertas eſt natu-ralis facultas faciendi quodlibet niſi quod pro-hibetur,id eſt nõ prohibita uel impedita:uel ui, id eſt iuregentium ut in captis.uel iure id eſt iu-re ciuili,ut in ſe uenundari paſſis,ſicq; ſit defini tio talis:Libertas eſt naturalis facultas faciẽdi quodlibet non prohibita iuregentium uel ciui-li,& competit tantum liberis:in omnibus enim ſeruis facultas faciendi impedita eſt uel iuregen tium, puta per captiuitatem ſunt ſerui, uel iure ciuili,ut in paſſis ſe uenundari.Dicitur autẽ ius gentium:ius,quia incœpit ſed per modum ciui-lis iuris,homo liber factus ſeruus,non minus iu regentium ſeruus eſt.Licet enim ius ciuile quan dam ſeruitutis formã inuenit, ipſa tamen ſerui-tus iuregentiũ cœpit: ſecundum hæc illa uerba, Niſi quod &c.ſunt de definitione. Seruitus eſt cõſtitutio iuriſgentiũ qua quis, id eſt ius quod dam agentibus conſtitutũ, quo quis dominio alieno ſubijcitur cõtra naturã, quippe inſpecta natura oẽs ſunt ęquales,ſed iuregentiũ fiunt in-æquales, Dicuntur autem ſerui, quia non occi-

di,ſed ſeruari debent & ſolent:dicuntur & mancipia, quia manibus ab hoſtibus capiuntur in bello, ſed & ſine bello & à non hoſtibus, ut ab his quibus nec fœdus eſt nobiſcum nec bellum indictum,ut.ff.l.iiij.de capti.Seruorum alij ſunt ſerui à natiuitate, alij à principio liberi, poſtea intercedente facto ſuo uel alieno, ſiunt ſerui,alieno ſicut dictum eſt,ſi capiantur in bello:ſuo, in hunc modum,puta ſi liber homo maior uiginti annis patiatur ſe uenundari ad pretium participandum, & homini ſuæ conditionis ignaro. His tribus intercedentibus, liber homo iure ciuili fit ſeruus:uerum ſi quod horum deſuerit,puta ſi emptor conſcius fuerit,licet minus pretium acceperit,ad libertatem:& ipſe ſuo iure,ſed emptoris iniuria clamare poterit perpetuò.& ſciendum eſt ſingula uerba iſta eſſe diſtinguenda, quippe ſuperiora ſunt uera, ſiue mas,ſiue fœmina, ſiue liber ille libertus fuerit uel ingenuus. Idem ſi fuerit ſtatuliber, abſurdum enim foret melioris conditionis eſſe hominem conditionis certæ quam dubiæ.Item quod dicitur ut ſit maior uiginti annis,intelligitur ut iam uiceſimum annum impleuerit,non duntaxat ultimam diem uiceſimi anni inchoauerit. Licet enim tunc tanquam maior habeatur, ut libertas tribuatur nō tamen ut ſeruitus inducatur,ut.ff.de manumiſſ. l.prima,ſed & ſi minor uiginti annis ſe uendi paſſus fuerit,& poſtea maior factus pretium acceperit,ſeruus fit,ut.ff.de libera. cauſa.l.liberis. Sed & per ſcientem conueniſſe de pretio participando,niſi & perceperit, nec in hoc caſu: utpote in crimine, merito reſtituitur cum ſtatum mutauerit,ut.ff.de minoribus.l.ſi ex cauſa. Et notandum,quia non tantum ſi per ignorãtem, ſed per ſcientem liber homo emptus fit ſeruus: porro uendens uel ſe uenundari patiens non di-

ſtinguitur, à ſciente ut liber homo fiat ſeruus. Sanè in emptione circa euictionem diſtinguitur, quippe emptor ignarus non conſcius euicto ſibi homine poterit experiri, uenditor autem etiam ignarus poterit conueniri. Sanè ſi liber homo ſuam conditionem ignorauerit, & eius euictio, non intercedentibus prædictis tribus, ſubſecuta fuerit, ſolus uenditor conuenietur. Si uero is qui paſſus eſt ſe uenundari, ſuam conditionem nouerit, & poſtea legitime euictus fuerit: paſſus ſe uenundari conuenietur in duplum, uenditor quoque conſcius ignarus'ue fuerit in aliud duplum, ut. ff. de libera. cauſa. In ſumma illud aduertendum eſt, quia prædicto modo paſſus ſe uenundari, aliàs fit ſeruus emptoris, aliàs fit uenditoris, ut ſi liber homo ſui uſumfructum patiatur uenundari, & uẽditor bonæ fidei fructum habuit, fit ſeruus: & ſine domino, puta ſi mala fide uendidit, ut. ff. de libera. cau. l. ſi uſumfructum. Item adhuc notãdum eſt, quia quod dicitur hominem liberum ſeruum fieri, cum ipſe maior paſſus ſit ſe uenundari &c. ex pœnali cauſa ponitur, non ut regula tradatur: nam & paſſus ſe permutari ad pretium participandum, ſeruus fit, ſimiliter ſi pignorari, ſimiliter ſi in propter nuptias donationem detur ad participium lucri, ut. ff. de liber. cau. l. ſi uſumfructum tibi, ingenuitatem tamen repetet, ſi pretiũ reddiderit, ut. ff. ſi libert. ingenu. l. ij. Item filius propter famem à patre uenditus. Item is qui ſua autoritate uela regalia ſuſpendit, ut. C. ne quis uela. Item ſeruus à natura, liber factus: quia ſe monachum clericum'ue fecerit, ſi poſtea ad ſecularem uitam remeauerit, in ueteris domini ſeruitutem redigitur. Item de latronum familia deſcendẽs, principis capientis, alterius autoritate principis fit ſeruus, ut. C. quibus ad liber. pro=

cla. non licet. l. ij. His modis liberi homines fiũt serui, multo pluribus autem, ut infra tractabitur, serui fiunt liberi. In seruorũ conditione nulla est differentia substantialis, nec enim distinguitur in substantia, siquidem non potest dici, seruitus talis, alia maior, alia minor, nullus seruus magis est seruus quàm alius seruus. Si qua ergo seruorum reperitur definitio non seruitutis substantia, id est nõ de iuregẽtium, sed de dominorũ descendit arbitrio. Seruorum alij possunt manumitti, alij non, alij sunt ordinarij, uicarij, alij sunt serui personæ, alij glebæ. Sanè libertas alia est atq; alia, & prędicatur cum magis & cũ minus. Est enim libertas alia minor: ut libertinitas: alia maior, ut ingenuitas, hoc enim nomen liber cõparatur, ergo in liberis multæ sunt differentiæ, duæ: aut enim ingenui sunt aut libertini.

DE INGENVIS.

TITV. IIII.

INgenuus est, qui ex quo natus est, statim liber est, qui mox ut solẽ respexerit, in lucemq; prodierit, libertatem accipit, ita tamen si nõ præcedens domini uoluntas, sed sola natiuitas hoc ei contulerit. Quid ergo dicemus de eo qui natus est seruus, & postea liber factus natalibus restitutus, ingenuus factus ad sui utilitatẽ? Hoc enim Imperator efficere potest, ut liber sit, qui natus est seruus: ergo hic mera ratione, ingenuus non est, licet pro ingenuo habeatur, multo minus qui ius duntaxat anulorum impetrauerit, uel in sua simplici manumissione perseuerauerit. Licet enim hodie omnis libertus sit ingenuus, hoc tamen debet intelligi ad publica munera gerenda, etiam sine impetratione anulorũ. quippe adhuc si ingratus extiterit, etiam natali-

bus restitutus, poterit in seruitutem reuocari, & ad operas præstandas compelli. Idem si quis delato sibi iureiurando iurauerit se ingenuū. Idem si sentētia iudicis uere libertus seruus'ue, pronūciatus sit ingenuus, quippe iusiurandū & sententia ueritati præiudicant. Natus autem ex duobus ingenuis nascitur ingenuus, itē ex duobus libertinis, ex altero libertino & altero ingenuo. Item ex seruo genitus dummodo mater sit libera, id est ingenua uel liberta. liberta, inquam, omni tempore uel saltem tempore concipiendi, idem si uel tēpore pariendi, uel in momēto oculi. Amplius etiam ex ea quæ semper fuit serua, nascitur ingenuus, quippe si ancillæ prægnanti à domino libertas fideicommissaria relinquatur, & per ancillam petatur hærede frustrante, quod ex ea interim erit natum nascetur ingenuum: porro si libertatem mater non petierit, ex ea interim natus seruus erit, uerum mater traditur ut manumittatur, ut. ff. de fideicom. libert. l. j. Cum uerò ex serua non tantum seruus, sed etiam homo ingenuus nascitur: nam ex contrario forte ex ingenua nascitur seruus, ut. C. de seruis reipub. manumit. l. iij. prædictis hominibus non officit in seruitute de facto fuisse, & postea de facto manumissos esse. Licet enim non olim, hodie tamen perpetuo, etiam sine principis rescripto, ad ingenuitatem poterit proclamare, ut C. ubi cau. stat. l. ultima.

DE LIBERTINIS.
TITV. V.

Libertini sunt, qui manumissi, id est à manu dimissi sunt, & dicuntur liberti quasi liberati ex iusta seruitute, hoc est cum antea iuste seruirēt: nempe licet seruitus iniusta sit iure naturæ, iusta tamen est iuregentium, uel ex

iusta seruitute, hoc est quia bene & fideliter seruierunt. Sæpius enim bene meriti manumittuntur, quàm qui non meruerunt. Ergo, secundum hæc quæ dicta sunt seruitutis nomẽ, & iuris designatiuũ est & facti, hoc est seruitij: manumittũtur inquam serui per manumissionem. Est autem manumissio libertatis, qua, meo iudicio, omnis seruus caret, datio: uel secundum alios detectio, nam & frumentũ facere dicitur is, per quem excutitur. Manumittitur autem quis etiã per seruum, puta per eum, qui cum ageret tanquam liber, postea seruus iudicatus est, ut. ff. qui & à qui. l. competit. Ergo licet iure naturali unũ tantum erat genus hominum, iuregentium facta sunt tria, ingenui, serui, liberti. Ergo olim omnes erant liberi, nulli tamen uocabantur liberi, sed duntaxat homines: nam si nulli nec erãt serui, nec uocabantur liberti, ego nulli licet essent, uocabantur liberi. Procedit autem manumissio & inter uiuos, & in uolũtatibus ultimis. Inter uiuos duobus modis per legem, & per hominem: per legem, ut per cõstitutionem missam ad Aufidium Victorinum: per homines, ut inter amicos & uindictam. Inter mortuos similiter duobus modis, per legem & per hominem. Per legem, ut si quis ancilla sua abusus fuerit usque ad mortem, ut. C. com. de manu. l. ulti. Per hominem, ut si directò testator manumiserit, uel per obliquum manumitti mandauerit. De his autem in. C. summa diximus plenissime. Libertinorum autem olim erat conditio trina: quidam dicebantur deditítij, hi uiuebant tanquam serui, & morientes fiebant liberi, & latini his contrarij: hos omnes expulimus, ergo hodie conditio trina facta est unica, hoc est omnes liberti hodie sunt ciues Romani. sic quidem nullum est discrimen, nec in ætate manumissi: is enim,

etiam qui in uentre geritur, manumittitur: nec in ætate manumissoris, dummodo infans non fuerit, nec in modo manumissionis. hoc autem sic intelligo, non ut omnis per omnem modum possit manumittere, nec enim minor uiginti annis, nisi uindicta manumittit, sed ita quia per quẽcunq; modum fuerit libertas data eadẽ erit.

QVIBVS EX CAVSIS MANVMITTERE NON LICET.

TITV. VI.

OStendimus supra quomodo liberi homines serui fiant, nunc exponamus quibus modis serui fiant liberi. Videamus igitur quibus de causis manumittere non possumus, & sic per contrarium ex cæteris manumittere intelligemur. Ecce enim in primis cessante dominio, id est nõ dominus non rite manumittit, nisi patris seruum filius, quo casu pater intelligitur manumittere, non filius, à non domino tamen libertas data postea cõfirmatur, si pretij petitionem dominus allegerit, ut. C. de his qui à non do. l. j. aliàs multipliciter confirmatur, ut in. C. summa distinxi. Sed & dominus perperã manumittit etiamsi sit soluendo, ut si seruũ specialiter obligatum, uel à locatore percussum, uel quæstioni subditum, uel legatum, siue pure, siue in diem, siue sub conditione, siue per optionem, nisi postea legatarius repudiauerit, conditio defecerit, uel is qui manumissus est, nõ optatus fuerit. Sed nec religari iussum, in urbe moratum dominus rite manumittit, nec seruum uim sibi inferentem, uel per proclamationem manumissionem extorquentem. Sed nec à iudice prohibitum manumitti uel à testatore, sed nec dominus crimine maiestatis reus, uel natus mutus



utiliter manumittit. De his omnibus modis in C.summa sufficiẽtissime exposuimus. De duobus autem modis, de quibus agitur in Institutionibus agamus, puta si dominus manumisit in fraudem, uel aliàs cum nondum impleuerit, uel quasi, uiginti annorum ætatem, & quidem si debitor manumittit in fraudem inter uiuos nihil agit, libertas tamen ita data, & per decennium sine controuersia obtenta, non reuocabitur, ut.ff. qui & à qui.ma.l.si cum.§. Aristo. Sed nec in testamẽto, si decreto manumiserit ille qui non est soluendo, libertatem tribuit. Sanè in libertate inter uiuos data, & in libertate directa fraus intelligitur. & ex euentu duntaxat & consilio data regulariter reuocabitur, sanè fideicõmissaria ex solo euentu refricabitur. Hoc autem debet intelligi, non si hæres sit soluendo, unde exigit ut relinquentis hæreditas sit soluendo, & cum aditur hæreditas. Ideo autem consilio & euentu intercedente, & non aliter infirmatur, quia cum dignior sit difficilius infirmatur, fideicommissaria cum sit indignior facilius reuocatur. Superiora tamẽ ita sunt uera, id est ut in fraudem creditorum data sit nulla, nisi ita relinquatur si creditoribus soluatur, ut.ff.qui & à quib. ma.l.vij. Regulariter, sicut dictũ est, qui in fraudem manumittit, nihil agit: excipitur, nisi is qui soluendo non est, seruum suum, uel à iure manumitti non uetitum & duntaxat unicum testamento instituerit, tunc enim, quia à domino cõsequetur post eius hæreditatem aditam liber efficietur: nempe hoc in casu lex Aelia Sentia fraudulosam tollit libertatem, propter famæ testatoris conseruationem, ne si eius bona uendãtur, defunctus iniuria adficiatur. Ita tamen à domino qui non est soluendo, proprius seruus institutus hæres, sit liber & hæres, si, de quo testator senserit,

ſenſerit,in manifeſto fuerit.Si enim duos Appollonios inſtituerit,nec appareat de quo intellexerat,iure non deficiente ſed probatione, interim neuter liber erit. Porrò ſi ex his ante aditam hæreditatē alter obierit, ſuperſtes liber erit. Quid ergo ſi quis non ſoluēdo conſtitutus,plures nominatim manumiſerit ordine ſeruato? primus ſufficientibus cæteris liber erit: interdum & nō primus,ſed ſecundus,puta ſi primus cum alijs ſine ſecūdo,creditoribus ſufficit,idem & in cæteris,ut.ff.qui & à qui.l.ſi quis. Item per legē Aeliam Sentiam minor.xx.annis non manumittebat niſi uindicta & apud conſilium cauſa probata,nec in teſtamento, per Iuſtinianum in Inſtitutionibus eſt cautum, ex quo quis decimum octauum annum attigerit,libertatem relinquere poſſe:ſed hodie ſtatutū eſt, quòd ex quo quis pubuerit libertatem relinquere poſſit,ſed nō dabit inter uiuos, niſi ut olim dare poterat, id eſt cauſa probata,ſed neq; alij manumittēdum tradi probata iniqua,ſiue per ſe,ſiue per procuratorem, ſiue uere,ſiue falſo etiam apud iudicem, ut ff.de manu.uindict.l.etiam. Licet enim ſententia ex falſis inſtrumentis retractetur,non tamen libertas:cum enim cauſa probatur, potuit contradici,nō autem probata poterit infringi.Cauſam autem iuſtam æſtimare oportet aliàs ex prę terito,ut ſi ſeruus dominum liberauerit in prælio:aliàs ex præſenti,ut ſi ſeruus ſuus ſibi ſit filius:aliàs in futurum,ut ſi ſeruum ſuum uelit conſtituere procuratorē:ita tamen ſi plures habuerit,ſed non tutorem,ut.ff.de manu.uindict.l.ultima.uel ancillam ſuam in matrimonium copulare:quatuor tamen oportet intercedere: ut iuret,ut in matrimonium ſibi ducat, & intra ſex menſes,& non interuenientibus alijs nuptijs,ut ff.de manu.uindic.l.ſi collactaneus, &.ff.qui &

à qui.l.matrimonij. Sanè mulier minor seruum suum, ut ab eo uxor ducatur, non manumittit, nisi sibi fortè conseruus suus in hoc legatus fuerit, ut.ff.de manu.uindic.l.alumnos.§. sunt quidam. Quod autem dictum est minorem uiginti annis, nisi causa probata, non posse manumittere, ita debet intelligi: si suo nomine, si seruũ proprium: secus si testator suum minorem rogauerit ut dependeret libertatem, uel si legauerit ei seruum, & præcipit ut illum manumitteret. In summa sciendum est, quia si quis etiam soluendo constitutus, duos tamen seruos habens Stichum & Pamphilum, cũ ambos sub disiunctione promiserit, si alterum manumiserit, quia tamen & alter ante priorem mori possit, neuter liber erit, ut.ff.qui & à qui.l.cum hæreditas. Item illud sciẽdum est, quia nec seruum cõmunem dominus sine uindicta manumittet, sanè minor creditor, minorq; fructuarius maiori domino poterit consentire, quia non intelligitur manumittere, sed dominum manumittentem non impedire, ut. ff. de manu. uindict.l. secunda & quinta. Item illud notandum est, quia quod dicitur causam etiam falsò probatam non retractari, in seruis proprijs debet intelligi. Quid enim si minor seruum alienum uolens manumittere, de cuius dominio suum esse per falsa probauerit instrumenta, posteaq; manumiserit? libertas data poterit reuocari: in seruis enim alienis magis proprie potest dici causa nulla quàm uera falsa'ue, ut.ff. de manu. uindict.l.ix. Sed nec illud est obliuioni tradẽdum quia pupillus qui non infans est apud concilium rectè manumittit scilicet tutore autore, ut.ff. de manumissis uindict.l. penultima.

DE PATRIA POTESTATE.

TITV. VII.

EXposita est in superioribus illa prima diuisio hominum, alij sunt liberi, alij serui, & illa secũda scilicet subdiuisio: liberorum, alij sunt ingenui, alij sunt liberti: nunc exponamus tertiam, quæ est hominum: alij sunt sui iuris, alij alieni (nihil enim de lege Fusia Caninia dicimus.) Audiamus itaq; de personis, quæ sunt alieni iuris, nam si scierimus quæ sunt istæ, consequenter intelligemus cæteras sui iuris fore. Et quia earum personarum quæ sunt alieni iuris, aliæ sunt in potestate dominica, aliæ in patria, & de potestate dominica pauca dicemus, audituri postea de patria. Et quidem potestas dominica iurisgentium est, & olim in seruos dominis latissime competebat: poterãt enim impune eos occidere, multofortius intollerabiliter uerbare, atqui coërcionem accepit. Non enim licet domino sine causa iusta in seruum suum sæuire, nec etiam causa intercedente supra modũ. Quippe:

Est modus in rebus certi sunt deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

Horatius in arte poëtica.

Ergo si quis occiderit seruum proprium, ita punietur per legem Corneliam, ac si occidisset seruum alienum, hominem'ue liberum, sed Aquilia non tenebitur, quæ domino, & non contra dominum ex ordine cõpetit. Sed & si dominus seruum nõ occiderit, sed aliàs male tractauerit, eum uenundare hoc in casu bonis conditionibus iubebitur, ut nec amplius ad dominum reuertatur, nec ab emptore pessime tractetur. Et interest dominorum, seruis iuste deprecantibus auxilium non denegari, duplici ratione, ut uel modicũ accipiant pretium, & ne eis iusta

deprecantibus, cēsura simili negetur auxilium. Item iure dominicę potestatis, quod per seruum acquiritur, domino acquiritur. quicquid id est post dominium actio & exceptio, ita tamen si seruus bona fide possideatur ab alio, uel obtineatur nomine ususfructus, uel usus, uel nisi alterius procurator sit seruus. Ita tamen seruus domino quærit si iuste quærit. Sicut enim non æstimatur amissum quod est recuperandum, sic non æstimatur quæsitum quod est restituendū. Quærit autem domino si uelit ei quęrere, item si neq; uelit, neq; nolit, sed & si noluerit, hoc tamen: ubi quid ei traditur ut domino quæratur etiam si seruus alio animo acceperit, ut. ff. de donatio. l. qui mihi. Si uerò quid seruo traditur indistincte, & ipse agit, ut extraneo quæratur, nec extraneo seruus quęrit, licet uoluerit, quia nō potuit: nec domino, quia noluit. Emergunt uitia. Imò per seruum bona fide possessum non acquiritur domino: non obloquitur, quia dominus creditur. Itē fructuario ex re sua & serui opera acquiritur: non obloquitur, quia ususfructus est pars dominij, & prædicti habētur pro dominis licet non sint domini, ut. ff. de usufruct. l. iiij. & .ff. de uerborum obligationibus. l. liber homo. Itē opponitur, quia si seruus stipuletur, ut per fundum alienum eat, dominus ire prohibetur: non obloquitur, nam cum seruus agit, domino tota utilitas obuenit. Item obijcitur, quia si seruus pecuniam pro libertate sua præstandā ostiatim quæsierit: nō obstat, quod hic dicitur per factionem contra rei ueritatem: nam cum ipse seruus nō sit suus: ergo, ut de uero loquamur, nihil habet suum. Item quæritur quomodo intelligendum sit quod dicitur. ff. de acquirē. domi. l. si seruus, quoniam si quid fide habita per traditionem acceperit seruus meus ab alio bona fide possessus.

nec illi nec mihi quæri, sed certe non obloquitur, quia de quæsitis prædicta regula traditur.

DE NVPTIIS.

TITV. VIII.

DE patria potestate in Codicis sũma, deq; nuptijs satis diximus, illud tamen discutiendũ arbitror, quod legitur, libera debere esse matrimonia, & quidẽ sunt libera, quia uinculo pœnæ non obstringẽda, pœnæ inquam, quam sibi spoponderant cõiuges, uel hi in quorum potestate sunt coniuges. Quid enim uetat extraneos ab extraneis pœnam stipulari? Si matrimonium inter aliquos non contrahitur, recipitur si quid datis arris inter sponsos pœnaliter promittatur, ut. C. de sponsalibus. l. ulti. Ideo dixi matrimonia non debere constringi uinculo pœnæ, quia pater aliquando iuste cogit consentire, imò semper intelligitur cõsentire filiafamilias palàm, nisi euidenter dissentiat, sed nec dissentire potest, nisi pater ei turpem sponsum eligat, ut. ff. de sponsalibus. l. sed ea quæ. Sanè nec pater filio uel filiæ consentire cogitur, uerum si filius patre cogente duxerit uxorem maluisse uidetur, ut. ff. de ritu nuptiarum. l. non cogitur cum. l. sequenti. Item liberta ob hoc manumissa patrono nubit inuita. Sed & notãdum est illud quòd in tribus casibus, filiafami. uoluntate patris, nec præcedente, nec subsequente, rectissime nubit, puta si pater furore præpeditus, non possit consentire, uel si pater filiæ desiderium maritale distulerit ultra uicesimumquintum annum ut in auten. coll. sept. uel si pater filiam uetat nubere. Vetare autem intelligitur, si cõditionem non quærit: nã & aliàs inuitus dicitur qui non consentit, & in possessionem inducere uidetur,

qui ingredienti uim fieri non permittit, ut.ff. de ritu nuptiarum.l.qui liberos.&.ff. de acquirenda possessione.l.penultima.

DE ADOPTIONIBVS. TITV. IX.

DE adoptionibus in Codicis summa explicauimus, illud tamen aduertendũ puto, quod dicitur: ab auo uel proauo adoptatum in eius redigi potestatẽ, tali ratione reddita, quia tale ius naturali uinculo sit copulatũ: naturali profectò, id est à quo adoptatus naturam contrahit, id est dũtaxat à suo superiori. Nec si quis à fratre alio'ue sibi cõsanguineo dãte patre adoptatur, in eius potestatẽ redigitur. Item non æstimo prætereundum, quòd dicitur filium consentire debere, si pater uelit tanquàm ex eo natũ adoptare: & ratio subditur, ne ei inuito suus hæres agnascatur: ac si diceret, meo iudicio, hoc ei continget, licet molestum ei sit futurum. Obijcitur: Sanè arrogati hominis filij, qui cum patre in arrogatoris potestatem trãsierunt, ab arrogatore emancipati, in suis patris etiam emancipati recidunt potestatem: sed quæ sit diuersitatis ratio ab alijs exploretur. ut.ff. de adop.l. arrogatore. Sed cum nepos datur in adoptionem, consensus filij exigitur, id est exploratur: sed tamen & si non petatur, adoptio celebratur: nam & cum Emphyteuta sua uendit emponemata, explorare debet an dominus uelit emere, & si noluerit, cuilibet poterit uendere. Itẽ obijcitur, quia.ff.eo.l. si is dicitur, quia si filius auo autor nõ extiterit, nepos adoptatus nõ erit in potestate filij. Respondeo, non ideo minus ei agnascetur, eiusq; erit filius: nõ enim si filius est & in potestate erit uel dicitur quòd lex illa per hãc corrigitur: nec ẽm placet illa sentẽtia, filius

consentire debet, ne ei, id est auo inuito filius agnascatur. Suus hæres, quod secundū illos esse non potest, id est filius inuitus, eū non habebit in filium uel hæredem, sed habebit cohæredem, sibiq; cōparem. Hanc autem sententiā ideo exprobro, quia si habebit hunc hæredem, uel tanquàm extraneū, hoc adoptator noluit: uel tanquàm filiū, hoc esse non potuit. Item notandum est, quia inutilis adoptio à principe confirmari pōt, & quia is qui filiū non habet loco nepotis, adoptare ualet, ut. ff. eo. l. adopti. & l. adoptare.

QVIBVS MODIS IVS PATRIAE POTESTATIS SOLVITVR.

TITV. X.

EXposuimus queadmodū dominica & patria potestas cōstituatur, & quemadmodū tollatur, nunc audiamus quemadmodū patria potestas dissoluatur, & certe dissoluit morte patris naturalis, ita tamen si iā discessit. Porrò auo mortuo, patreq; superstite distinguitur: Nā si eo tēpore quo auus morit, filius sit in eiusdē potestate, nepos hic in patris sui potestatē recidet, nisi filius naturalis antea emācipatus, postea sit à patre adoptatus: tunc em nepos in eius, id est patris sui potestatē nō recidit, ut. ff. eo. l. si pater. Sed quæ sit ratio quęri potest. Si uerò iam pater suus obierat, uel sui iuris factus fuerat, sui iuris nepos efficitur. Sed quæri pōt fortiter quæ sit ratio. Sanè arrogati hominis filij, qui cum patre in arrogatoris potestatem transierunt, arrogatore emancipato, in sui patris emancipati recidunt potestatē: sed quæ sit diuersitatis ratio, ut ab alijs exploretur, omitto, ut. ff. de adop. l. si tibi. Morte quoq; ciuili ptās patria dissoluit, ut si deportatus quis sit in metallum, uel in opus metalli, uel si bestijs subijciatur, Quid dicimus

ſi monachus factus fuerit, qui habetur pro mortuo? Diſtinguo: Si enim pater ſe monachauerit, quia ſeruus eſſe deſinit, filium in poteſtate non habebit: de poteſtate uero patris non eximitur filius, quòd factus ſit monachus. Opponitur: qa non patri quærit, nec obtemperare neceſſe habet ei. Reſpondeo: nec filia patri, ſed marito con iugata. Dignitate quoq; diſſoluitur patria poteſtas, puta: ſi filius factus ſit Imperator, Patritius, Epiſcopus, Conſul, Præfectus, Magiſter militum. Propter maleficium quoq; poteſtas patria mutatur, ſi filium expoſuerit, crimen maieſtatis, uel inceſtũ cõtraxerit. Adoptione quoq; ſimplici, id eſt ſi à patre naturali flius det in adoptionem auo uel proauo, prima poteſtas, id eſt paterna, diſſoluitur: & ſecunda, id eſt auita, conſtituitur. Emancipatione quoq; diſſoluitur, & in bonis licet non in omnibus filij emancipati, eadem iura præſtantur parenti, quæ patrono in bonis liberti attribuuntur. Eadem inquam iura quo ad ſucceſſionem, id eſt ut emancipator emãcipato quandoq; ſuccedat, puta ſi libertus non habens filios præterierit patronum: quandoq; & in totum, puta ſi deceſſerit, & ab inteſtato, & ſine filijs: quandoq; ſuccedũt in nihilum, in quatuor ſcilicet caſibus: puta, ſi emancipator emancipatum male tractauerit, ſi pretio emancipauerit, ſi filius emancipatus militauerit, ſi filius inter uiuos in patrem quantum ſatis eſt cõtulerit, ut. ff. ſi à paren. manu. l. prima. Ecõtrario in quatuor caſibus pater cogitur emancipare: puta, ſi proſtituerit, ſi aliter male tractauerit, ſi arrogatus non expedire ſe arrogatum probauerit, ſi pater quid ſibi relictum ut emanciparet, acceperit ut. ff. de conditio. & demonſtratio. l. ſi cui legatum. In ſumma illud ſciendum eſt, quia licet patrono & eius filio detur per Caluiſianam reuo-

catio, non tamen parenti datur contra alienationem filij, sed econtra filio datur quasi Caluisiana contra alienationem parentis, ut. ff. si quis à paren. l. secunda, &. ff. si quid in fraudem. l. penultima. Captiuitate non tollitur, sed suspenditur: & conditio gemina, id est Corneliæ & iuris postliminij expectatur. Item per emancipationem non suam sed patris, ex consequētia nepos de potestate eximitur, puta emancipato arrogato: & eius filij licet expressim non emancipent, ut dictum est, de potestate exeunt.

DE TVTELIS.

TITV. XI.

Diuisionis præfatæ quæ est personarum, aliæ sunt iuris alieni, aliæ sunt sui iuris: illud mihi obiter pertractatū est, qđ est de personis quæ sunt alieni iuris, nunc disseramus de personis quæ sunt sui iuris. Harum aliæ sunt sub tutela, aliæ sub cura, aliæ sub defensore consistunt, nisi fuerint furiosi uel prodigi, uel in hypocondrijs perpetuò patientes: & quia tutela præcedit eam, ut impubes puberem, primitus de tutela agamus. Videamus itaq; quid si tutela, & unde dicat, & qualiter diuidatur: & quia testamentaria præcedit alias tutelas, quæ sit testamentaria, & quis cui tutorem testamēto possit dare declaremus. Tutela est potestas: & quia cura est potestas, additur uis, id est cum ui. cogitur enim uterq;: pupillus, ut tutelam admittat: tutor, ut subeat: sed curator nō adultus artatur, nisi ad litem suscipiendam non mouendam. Et quia dominica potestas est potestas, & uis, id est potestas, ad differentiam additur in capite libero: & quia patria potestas est potestas & uis & in capite libero ad differentiam additur, ad tuendum eum subaudi, & non ad quærendum.

Tuendum non puberem, sed eum, id est solũ impuberẽ, qui nequit se defendere ui uel iure propter ætatem. Porrigitur definitio usque huc. cætera quæ sequuntur: Iure ciuili data ac permissa, nihil operantur ad definitionem, sed tutelæ innuunt diuisionem: quippe tutela alia datiua, id est iudiciaria & testamentaria: alia permissa, id est legitima. à tuendo autẽ dicta est tutela. Datiua autem ideo est dicta tutela: nempe tutores dicuntur quasi tuitores, id est defensores. Ergo in largissima significatione omnis curator poterit dici tutor, quia tuetur: & omnis tutor, curator, quia negotia curat. Si tamen propriè uelimus loqui tutorem impuberis, curatorem puberis nominamus. Testamentaria tutela uocatur, quæ in testamento, uel saltem in codicillo testamento confirmato, disponitur, pater hæredi instituto filio uel exhæredato tutorẽ dare potest: mater autem nõ nisi instituto filio, quasi in rem potius quàm in personam tutorem dare uideatur. Sed inquiri in eum, qui matris testamento datus est tutor oportebit. Datus autem à patre filio uel filijs, omnibus & masculis & fœminis datus intelligitur. Filiorum autem appellatione, nepotes non continebuntur, nec per patrem, nec per auum tutores habebunt, nisi nepotum uel liberorum nomen: quòd latius patet, quàm filiorum, in dandis tutoribus, inferunt: enimuero in testamento etiam filiorum nomine nepotes significantur. Hoc ita tam uarie, quia pater necesse habet instituere, non tutores dare. In summa illud sciendum est, quòd qui filium & ex eo nepotem habet, si nepoti tutorem dederit, datio ita demum ualebit, si nepos in sui patris potestatem non sit recasurus, alioquin tutoris datio inutilis esset: unde si pater decesserit, sicq; nepos ex eo successerit uiuo auo, per legem Iuniã

Velleiam, datio tutoris primo inutilis, postmodum fit utilis.

QVI TESTAMENTO TVTORES DARI POSSVNT.

TITV. XII.

AVdiuimus quòd possunt tutores dari testamento, dari quoq; poterit seruus, pure, in diem, sub conditione etiam expressa, non à iudice. Liber & priuatus, & honoratus, seruus etiam alienus sub conditione, id est si liber fuerit. ergo pure inutiliter à testatore datur, quo ad hoc ut mox sit tutor, sed erit cum liber fuerit. Seruus autem proprius sub conditione datur inutiliter, quoad hoc ut conditio expectetur, sed conditione reiecta mox fieri cōpelletur. Seruus proprius etiam non adiecto nomine libertatis, & tutelam & libertatem cōsequitur. Hoc ita: si testator non errauerit, & si testator tutorem reliquerit. Porrò si nō errauerit, uel in codicillo reliquerit, libertas fideicommissaria cōpetet, ut. C. de fideicom. libert. l. & si. Si uero putauerit liberum cum sit seruus alienus, uel putauerit suum, cum esset alienus, nulla competit libertas. Ergo quinque casus notare possumus: in uno competit directa, ut si seruū suum sciuerit: in duobus, fideicommissaria, si putauerit alienum esse, & erat suus, uel alienum esse, & erat alienus. Ad hæc si putauerit liberum, & seruus erat, uel si suum, & alienus erat: ut dictum est, nulla libertas competet, nisi euidentissime probari posset testatorē eius fuisse propositi, quòd si in ueritate scilset seruum suum, manumisisset, & de alieno manumittendo mandasset. In summa sciendum quòd tutor personæ datur ad omnia, id est ad uniuersum patrimoniū; nec tu-

torem habenti tutor datur, nisi causaliter: id est ob augmentũ facultatum, uel ultra lapidem centesimũ, id quod hodie sic obseruatur, licet prætorius tutor olim daretur rei indiuiduæ causæ'ue.

DE LEGITIMA AGNATORVM TVTELA.

TITV. XIII.

Audiuimus de testamentaria, & quia secundum locum sibi uendicat legitima, id est agnatitia, audiamus de illa. Hęc olim tantum competebat agnatis, hodie cognati ueniunt, non agnatę cognatæ'ue mulieres, quia mulieres non, nisi à principe impetrauerint, uel in liberos tutela petita, Velleiano renunciauerint. Legitimos ergo tutores oportet esse mares uigintiquinꝗ annis maiores neꝗ capitis diminutionem etiam minimam oportet eos esse passos. Primum enim agnati desinunt esse agnati, præterquàm fratres si fuerint emancipati, nõ tamen desinunt esse à patre coniuncti: est enim illa allusio non agnatorum descriptio. ergo agnationis ius capitis diminutione perimitur. Enim uero cognatio, quæ est res naturalis, nulla capitis diminutione ullo modo tollitur. Qui enim hodie mihi cognatus est, licet non agnatus, perpetuò erit cognatus: hoc est, quandiu uixerit, etiamsi seruus factus fuerit. Sanè ius cognationis, id est ius succedendi per prætorem: licet non minima, media tamen & maxima capitis diminutione suffocatur. Item in eo differunt quòd agnatio species est, cognatio uerò genus. Item & in eo, quia agnatio nomen est formæ ciuilis iuris: cognatio nomen est naturalis rei. In summa illud sciendũ est, quòd nomen cognationis pro iure cognationis, id est successionis ponitur, ut

in titulo sequenti dicitur:quia cognatio soluit, & ius cognationis pro cognatione ponitur uel creditur: post minimam capitis diminutionē cognatio manet,id est ius cognationis:nam, sicut diximus,post maxima tēpora cognatio durat.

DE CAPITIS DIMINVTIONE.

TITV. XIIII.

HAbita mentione capitis diminutionis,de ipsa incidēter facta quadam digressione, loquamur. Et quia nomine capitis significatur status, uideamus quid sit status, & quæ contineat status, & quid sit capitis diminutio, qualiter diuidatur.Status,hominis conditio,in qua potest plurimū,in tribus consistit,quia tria sunt quæ habemus, familiam, ciuitatem, libertatem. Capitis diminutio est prioris status permutatio, subaudio, intercedente facto, uel suo, ut se uenundari patiētis, uel alieno,ut hostis capientis,uel patroni in seruitutem reuocantis,uel iudicis in metallum condemnantis. Fit autem transmutatio ubi quis de nō statu transit ad statum, uel de uno statu transit ad alium statum. Porrò ubi quis de statu transit ad non statum, capite non minuitur. ergo seruus qui non habet caput,id est statū,si manumittatur, caput nanciscitur: cum autem caput non habebat, capite non minuitur.Item à dignitate remotus, uel ad dignitatem promotus,capite non minuitur. excipitur nisi quis eam dignitatem adipiscatur, quæ à potestate patria liberat: ut episcopatum, patriarchatum. Tres sunt capitis diminutiones,maxima siue magna,minor siue media,parua siue minima. Maxima diminutio tunc contingit,cum quis libertatem amittit.ergo omnia Media cum quis tantum ciuitatem amittit,ut si cui in ciuitate manenti aqua & igni interdica-

tur,quo casu inter ciues licet moretur, ciuis tamen non est,quia hominum caret suffragijs. Et is qui deportatur in insulam, non in metallum, tunc maximam incurrit,sed in opus metalli, nō in perpetuum:quia tunc seruus etiam fiet,sed ad tempus,ut.ff.de pœnis.l.aut. Minima capitis diminutio contingit, cum quis tantum familiam mutat,ut si filiusfami. sui iuris fiat, uel si sui iuris fuerat,efficiat̃ alieni iuris, id est si fuerit arrogatus. Si ergo primo sui iuris qs erat, & postea seruus fiat, icurrit capitis diminutionē minimā.

DE LEGITIMA PATRONORVM TVTELA.

TITV. XV.

Redit ad propositum. Patronorum tutela uocatur legitima, non quia per legis uerba, sed per eius mentem sit inducta. Sicut enim eo ipso agnatorũ impuberum agnatis maioribus tutelam deferunt, quia eorum capiunt hæreditatem,eadem ratione & libertorum patroni,impuberũ tutelam subeunt, quia ad ipsorum ueniũt successionem. nec distinguitur, manumiserint coacti sponte´ue, imò & si pretio dato,non tamen ex Rubriano senatusconsulto, ut ff.eo.l.iiij.Differt hæc tutela à superiori,& in eo quia agnati satisdant,patroni regulariter minime,sed & in eo,quia hęc tutela patrono competit,& eo uiuente non defertur liberis mortui cōpatroni:secus in superiori.

DE LEGITIMA PARENTVM TVTELA.

TITV. XVI.

Sequit̃ tertia legitima scilicet parentũ tutela,ad exemplũ huius quæ proxime exposita est,introducta:ergo si pater prolē suā emancipauerit,nisi sit suspectissimus,eius tutor erit.

DE FIDVCIARIA TVTELA.
TITV. XVII.

EST & quarta tutela introducta, quę fiduciaria dicitur. Si pater habens filium impuberem, & alium uigintiquinq; annis maiorē, impuberem emancipauerit, & maiorem in potestate relinquat, mortuo patre, fratre adhuc existente impubere, prædictus frater illius maior, alij tutor erit, non legitimus: quia emancipatione ei desinet esse agnatus. ergo in subsidium uocabitur fiduciarius, tali ratione: quia & si à patre emancipatus non fuisset, similiter morte patris sui iuris fieret: uerū quia agnatio duraret, quoniam per mortem patris, capitis diminutione non intercedente, frater in sui fratris tutelam legitimam assumeretur similiter. Ergo cū emancipatus desierit esse agnatus, frater eius maior fit tutor fiduciarius. Porrò patrono legitimo tutore mortuo, patroni filius erit tutor legitimus: nā & si seruus impubes manumissus nō fuisset, sicut patroni, ita patrono mortuo, filij patroni seruus fieret. atqui ī superiore casu secus est: nāq; sicut per emancipationē factus est sui iuris, ita p mortē fuerat sui iuris futurus. Amplius & si pater maiorē filiū retinuerit in potestate, & ex eo natos, uel deinceps emancipauerit, horū emancipatorū pater prius erit fiduciarius. Imò dicet quis. Legitimus debet fieri: nam si emancipatus non fuisset, mortuo auo eodem iure apud suū patrem esset, id est in eius potestatē recideret. Respondeo: Esto, uerū hoc contingit alia ratione, id est nō quia aui sint nepotes, sed huius filij. Itē in summa sciendum est quòd quando inter fratres hodie cognatio durat, legitima tutela dici potest. Ex his colligere licet, quatuor esse, licet indifferenter tutelas legitimas, Agnatorum,

patronorum,parentum,fratrum. Illud quoque ſciendum eſt, quòd orphanorum tutela quinta legitima appellari poteſt.

DE ATTILIANO TVTORE, ET EO QVI EX LEGE IVLIA ET TITIA DABATVR.

TITV. XVIII.

EXpediuimus de tutela teſtamentaria, deq; omni legitima, nunc audiamus de datiua. hæc decernitur duobus modis:per inquiſitionem,& ſine inquiſitione. Etenim deficiente teſtamentario tutore,legitimoq;, dabatur olim tutor ex lege Attilia per prætorem, perq; duos tribunos: in prouincijs ex lege Iulia & Titia per præſides. Secundo loco cœpit dari per conſules. Tertio loco, per prætores ex conſtitutionibus. Quarto loco, per præfectum in urbe, defenſores ciuitatum, iuſſu præſidum, ſi non ſunt magnæ pupillorum facultates. Quinto loco, eò uentum eſt,ut etiam non interueniente præſidũ iuſſu,per defenſores & antiſtites, ſi pupillorum fuerint quingentorum ſolidorum facultates, dari ualeant tutores.

DE AVTORITATE TVTORVM.

TITV. XIX.

IN hoc titulo, qui inſcribitur de autoritate tutorum, quinq; notabiliter ſunt aduertenda. Ecce enim legitur pupillum meliorem conditionem ſuam poſſe etiam ſine tutore facere,ut ſi ſtipuletur ſibi quid dari fieri'ue, ut tamen intelligatur quid agat. Item legitur, pupillum deteriorem ſuam conditionem,ſine tutore facere nõ poſſe,ut ſi minor habeat hæreditatem etiam lucroſiſſimam, ne hac occaſione ſumpta, ab una

lucroſa

lucrosa mille damnosas adiret. Item legitur, pupillum cum tutore suam conditionem deteriorem facere posse, ut si conducat emat'ue, neque enim cum tutoribus malè contrahitur. Si aũt prima facie damnificatur, damnũ tutores sequitur, uel restituitur: quia pupillus non patitur. Item nec tutores sine decreto mobilia etiam inutilia uendunt. Item aliquando etiam sine tutore pupillus damnificatur: manumissus enim ingratus factus in seruitutem reuocatur, ut infrà tit. prox. Item notabiliter notandum est, speciale fore, tutoris ratihabitionem retro non trahi: nam & aliàs si filiafamiliàs mortuo marito patre inscio, infra annum nupserit: licet enim postea pater ratum habuit, non infirmabitur, quia prætor ad initium nuptiarum se retulit, ut ff. de his qui no. infa. l. quid ergo. Illud in summa sciẽdum est pupillum sine tutore nec ciuiliter nec naturaliter obligari, puta tamen si intellectum capit: uel si sapit, cum tutore contrahit, quem solus habet: ut. ff. eod. l. pupillus. & ff. de condit. inde. l. quod pupillus. Interdum tantum naturaliter obligatur. puta si aliàs contrahit & intelligit, nec locupletior sit: ut. ff. de obligatio. l. pupillus. Interdum etiam ciuiliter obligatur, puta si locupletior efficitur: ut. ff. cõmodati. l. sed mihi.

QVIBVS MODIS TVTELA FINITVR.

TIT. XX.

IN hoc titulo illud solum dico, quòd pupillus admittere potest'ut deportetur, & ex ingratitudine in seruitutem reuocetur, non tam si se uænire patiatur: nisi maior fuerit. xx. annis, sed nec omnis maior. Quid enim si fuerit miles, is

nequaquam sic seruus efficietur: Lex enim erubuit & maluit hanc decapitari iubere quàm seruum facere: ut. ff. de pœnis. l. quædam. nam etiã aliter Imperator mauult hominẽ manumissum seruum remanere, quàm miserabiliter fieri liberum, & latinum libertum constituere: ut C. de lat. libert. l. unica. Ad hunc titulum & inferiorẽ pertinẽtia ex C. summa, quam promulgaui, colligere liceat.

DE CVRATORIBVS.

TITV. XXI.

INter tutores & curatores hæ sunt differẽtiæ. Tutor datur tantum impuberi, curator regulariter puberi, etiam aliquando impuberi. Item tutor à testatore, curator utiliter non nisi à iudice. Item tutor datur etiam inuito, curator non nisi uolenti, præterquam ut cum adulto litigetur, uel ratio sibi à tutore reddatur. Itẽ tutor non datur nisi personæ: certæ autem rei uel causæ tutor dari non potest. Item furiosórum & consimilium. xx. annis maiorum defensores, non tutores, sed curatores dicuntur. Item licet non tutor, curator tamen datur & causę, bonis & operibus publicis.

DE SATISDATIONE TVTORVM VEL CVRATORVM.

TITV. XXII.

IN hoc titulo tria sunt aduertenda. Ecce enim tutorum, alij dantur honoris gratia, alij dantur notitiæ causa, alij dantur ut grauati. Itẽ tutorũ alij sunt testamentarij, alij legitimi, alij datiui. Et datiuorũ alij dantur cũ inquisitione, alij sine: dati sine inqsitione, à iudice satisdãt. Legitimi quoq;, nisi fuerint patroni, dati ex in-

quisitione, nõ satisdant, nisi fortè: ut C. de episc. audien. l. antepenult. nec testamentarij, nisi uel pater errauerit, uel tutor datus postea factus est reprobus: cum eo tempore quo datus est à testatore fuisset idoneus: ut. ff. de test. tute. l. pater. Item in actione intendenda, quę nomine tutelarum redditur, ternus ordo spectatur. Primo, conueniuntur tutores qui gesserunt. Secundo, illi tutores qui non administrauerũt, etiam magistratus minores qui non administrauerunt, id est tutorũ nominatores: magistratus enim maiores qui sunt datores, id est præsides & confirmatores non conuenientur. Item tres sunt satisdationes: est enim una, quã tutor exponit in pupillum stipulãtem, uel seruum proprium, uel publicum, uel in subsidium in magistratum nomine pupilli stipulantem, ut. ff. de magistra. cõue. l. j. Secunda satisdatio est uolũtaria quam tutor tutori offeret ut solus administret, siquidẽ alter alteri satis offerre, non satis petere potest. Est etiam alia satisdatio quam tutor facit magistratui qui illum nominauit: ut C. de magistra, conue. l. j. In summa illud sciendum est, quòd pluribus tutoribus datis ut tutela geratur, quaternarius, id est quadripertitus ordo conseruatur: nisi per tutorem dantem dictum est quis gerat, ille geret, nec alter alteri satisdabit. Si nõ est dictum ille geret, de quo omnes, uel penè omnes consentiunt: si nõ consenserint, alter alteri satis offeret, non alter ab altero satis petere ualebit. Interdum etiam non satisdans puta si sit idoneus, pręfertur satisdare uolenti, qui non est idoneus. Quarto loco, si nullum prædictorum interuenerit, pręses eliget eũ eos'ue qui gerant.

DE EXCVSATIONE TVTORVM VEL CVRATORVM.

TITV. XXIII.

EXcusant liberi à tutela & cura, liberi si sint naturales & legitimi. Naturales tantum: minime: & legitimi tantum: minime. Prosunt autem filij sui etiam emancipati, & quasi emancipati, ut monachi, Episcopi, & patritij. Proderunt autem in prouincijs quinque, in Italia quatuor, tres Romæ: non dico ut filij habitent Romę, sed ut prosint tres illi patri qui degit Romę, ita tamen si fuerint superstites. Iã enim mortui, nisi in acie conciderunt, non proderunt. Sanè uiuentes qui iam profuerunt, licet post excusationem impetratam obierint, illi tamen non excusabunt. Quid ergo si quis portatur in uẽtre? certe patri non prodest. Nepotes quoque ex filio iam mortuo prosunt: sed si filius uiuit qui est illorum pater, auo non proderunt. Ita autem prosunt auo nepotes, ut computentur tantum pro uno si fuerint ex uno filio nati. Quid ergo si pater filij sui emancipati tres filios adoptauerit? hi inquam proderunt. nunquid tanquam tres filij, uel tanquam unus? quia nepotes adfiliatione præualente tanquam tres debeant opitulari. Item tutores uel curatores multis distinctionibus excusantur: enimuero tres tutelas nõ numerus liberorum efficit, sed diuersitas trium patrimoniorũ. Item excusant duntaxat quamdiu administrant. Item exigitur ut nõ sint affectatæ, sed uel propter temporis breuitatem, uel propter negotiorum paucitatem: res enim onerosa nõ solet affectari. Interdum enim excusat unica tutela, si sit puta negotiosissima. Interdum excusat etiam unica nõ negotiosissima,

si consanguinei sui tutelam clericus assumpserit, & si illam sponte suscepisse scripserit. Item tres tutelæ cura'ue patris, filio prosunt, & econtra. Item duæ tutelæ & una cura & duæ curæ excusant ab una tutela. Quid ergo si quis habens duas tutelas uel curas ad tertiam uocetur, & excusatione ab eo allegata & à iudice reprobata, appellauerit? certe si appellatione præcedente uocetur ad quartam, poterit se rite excusare. Item si quis habens duas, uocetur ad alias, & si appareat ad quã primò sit nominatus, illam amittet, & ab alia se excusabit: si non appareat, uocatus eliget. ff. eod. l. si quis. Item periculum tutelæ in numerum tutelarum cedit ad excusandum: ut. ff. de nup. l. si quis. Imperfectæ autem species, ut duæ tutelę, & duo liberi: uel duo liberi & duæ curæ, non prebent excusationem: ut C. qui nume. tute. se excu. In summa sciendum est sponsum à tutela cura'ue spõsæ se posse excusare. Item ingenuus se excusabit ut liberti tutelam non gerat, nisi id fiat propter nimiam hominum penuriam: ut. ff. eo. Cætera ad hunc titulũ pertinentia ex Codicis summa diligens lector aduertet.

DE SVSPECTIS TVTORIBVS ET CVRATORIBVS.

TITV. XXIIII.

DE suspectis tutoribus & curatoribus illud solũ ponimus, quod hi suspecti sunt, qui tutelæ & curæ ministerium redemerunt: id est, qui tutelam curam'ue emerunt. His non sunt absimiles miserrimi præceptores, qui pecunijs datis, p̃cibus oblatis scholares emunt. talibus inquam persuasionibus, imò deceptionibus (si mihi crederent) scholares nõ emerent. Suspecti sunt enim qui operas suas ingerũt. De

bent enim scholares secum reuoluere & mente sua dicere: q̄ preceptores cur nos rogāt: aut propter nos, aut propter se: propter nos, minimè: q̄a non amplius nos uiderunt, nec genus nostrum cognoscūt. relinquitur ergo propter se: & si propter se, non sunt audiendi, imò tāquam deceptores & proditores sunt uitandi.

LIBER SECVNDVS.

DE RERVM DIVISIONE.

TITV. I.


MPERATOR se continuat, & ait: superiori libro de personis exposuimus: modò uideamus de rebus &c. properat ad id quod gestit: quia animo cupienti nihil satis festinatur, & illico diuidit, & dicit: Rerum aliæ sunt in patrimonio, aliꝫ extra patrimoniū. Verū quia quantò magis res omnis distinguitur, tantò melius aperitur, ideò rerum à nobis multiplex distinctio subijciatur. Et quidem rerum omnium, aliæ sunt corporeꝫ, aliæ incorporeæ: item aliæ sunt humanæ, aliæ diuinæ: item rerum omnium aliæ sunt cōmunes, aliæ publicæ, aliæ uniuersitatis, aliæ nullius, aliæ singulorum, hanc distinctionem prosequamur. In primis tamen hic sciendum est, quòd publicum hic dicitur quasi populicum, id est omnium populorum, id est quod ad usum omnium hominū pertinet: aliàs publicum dicitur, quod est in patrimonio cuiuslibet: aliàs publicū appellatur, quod est tantum in usu populi, ut iura publica,

campus Martius. Item hoc uerbum, nullius, large accipitur hic, id est ita ut nō sit bonis, nec uniuersitatis, nec hominis, nec sit in usu omniū uel quarūlibet uniuersitatum: aliàs stricto modo dicuntur melius ea quæ non sunt in alicuius hominis dominio. Cōmunia dicuntur flumina & maria, omniū animantiū, ratione quorundā usuū, id est bibēdi & abluēdi: eadem sunt etiā publica ratiōe alioru usuū: id est tantū hominū, ut nauigādi & piscādi. Littora quoq; similiter communia & publica sunt: id est, tantū hominū: puta, ut in his retia siccētur, & inuolucra reponantur. Quare omnia littora sunt communia: puta iusta, exceptis fortè portubus, quos ita diximus publicos esse, quod non sint etiam cōmunes. Quid ergo si quis ædificauerit in littore? certè quāuis ædificator ædificando occupauerit, suum facit, & in hoc casu non ædificium solo cedit, sed solum ædificio dilapso, quasi iure postliminij, reuertitur in pristinā causam: ut. ff. eo. l. in tantum. Ripæ quoq; fluminum publicorum, etiam communes possunt dici & publicæ, sicut & littora: & differunt à littoribus, sunt enim priuatę: quippe earum dominium est eorum, quorum prædijs adhærēt. Littora & maria dicuntur publica: ut ff. ne quid in loc. pub. sed hoc intelligo quātum ad iurisdictionem. Vniuersitatis sunt quædam aliàs dominio & usu, ut fundi & serui ciuitatū: quia ita sunt omnium quòd nullorum: siquidē uniuersitati & non singulis debent honorē. aliàs uniuersitatis usu tantum, ut stadium, theatrum: dicitur autem stadium octaua pars miliarij, quia historice fertur quòd Hercules uno anhelitu tantum currebat, & postea stabat. Singulorum sunt, ut mea, tua. Nullius sunt multa & multis modis, censura, facto, tempore, casu, natura. Casu, ut hæreditates, domino

mortuo sine successione. Tẽpore. ut thesaurus. Facto, ut ea quæ habentur pro derelicto. Natura, ut pisces, aues, bestiæ nondum captæ. Censura, ut sacra religiosa. Sacra dicuntur quæ rite & publice per Pontifices deo sunt consecrata, ut in templo uasa sacra. Nec obloquitur quod. ff. eo. dicitur, quia sacra sunt quæ princeps consecrauit uel dedicauit: sic id intelligo, id est suis sumptibus dedicauit. Quod fecit enim Imperator dicari, nõ de dedicante ualet, hoc est si alij dedicandi dederit potestatem. Sacra sunt loca etiam priuata in quibus reponuntur sacra. Religiosa dicuntur loca in quibus hominũ corpora sunt humata, uel tota, uel saltem capita: truncus enim solo religionẽ non exhibet. locus autem religiosus propriè uocatur sepulchrum. Religioni destinatum uocatur monumentum. Cenothaphiũ quod inanis sepulturæ locus est, Vergilio Lõbardo dicitur esse religiosum. Sed certẽ si mihi Lombardo credidissent diui principes qui contra rescripserunt, eũ non reprehendissent. Inferendo in locum suum cadauer quis facit religiosum, nisi locus alteri seruiat: tunc enim nec hæres defuncti locum facit religiosum sine cõsensu fructuarij, nisi ipsum testatorem intulerit non habentem alibi ubi commode sepeliri posset. In communem locum si inferatur, similiter consensus socij exigitur: nisi in prædicto casu. Alienum locum, duntaxat domini uoluntate, uel semel intercedente, religiosum licet efficere. Sancta sunt quę quadã sanctiõe sunt firmata, ut muri ciuitatum & portę. Sanctio autem propriè illa constitutio uocatur, per quam pœna irrogatur transgredientibus. Generaliter autem omnis constitutio dicitur sanctio: aliàs dicitur sanctio multarum legum, in uno uolumine collectio; ut C. de Iustin. cod. compo.

Ad hæc sanctum dicitur tripliciter. Ecce enim homines dicuntur sancti, à sanctitate: legati, à sagminibus: muri à sanctione. Nempe si quis muros ciuitatis uiolenter transcenderit, uel aliter in eos deliquerit: ut Remus à fratre Romulo occisus est, capite plectitur. unde Lucanus:

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Item quod est notabile, sine iussu principis muros ciuitatis, nec licet reficere: intelligo suo cōmodo suaq; autoritate. ut. ff. eod. l. antepenulti. Hucusq; de rerum diuisione: nunc autem de acquirendo ipsarum rerum dominio differamus. Adquiruntur omnia rerum dominia nō iure naturali, quo omnia sunt communia, sed iure ciuili & gentium. Iure ciuili multis modis, usucapione, arrogatione, monachatione, testamento, successione, bonorum possessione. Iure gentiū quæruntur rerum dominia duobus modis, sed eorum quæ antea fuerunt alterius, per apprehensionem & per accessionem. Per apprehensionem quatuor modis, per captionem, per permutationem, per traditionem, per occupationem. Per captionem scilicet eorum quæ antea fuerūt alterius, ut si ceperis quod fuit hostium: nam & ipsi à nobis capti, nostri efficiuntur serui, & nos eorum: & loca sacra capta fiunt prophana eorū quæ nullorū fuerunt, & si fuerunt, esse desinunt. Captione efficimur domini, puta si ceperimus bestiam, auem, piscem: ergo captio spargitur in tres partes, in uenationem, aucupium, piscationem: nec refert in tuo fundo ceperis, uel in non tuo, si non prohibitus fueris. Verum duobus in casibus iure agis ut in fundum alienū ingrediaris, puta glandis legendę causa tertio quoq; die, & pecuniæ tuæ in alieno fundo absconditæ, ut tibi primo de calumnia iuranti liceat effodere.

& exportare: ut, ff. de glan. leg. & ad exhi. l. thesaurus. Præfata autem animalia arte capta, etiã sine uoluntate tua, imò etiam contra uolũtatem tuam, tua esse desinũt, cum ita sunt in conspectu tuo, ut difficilis, id est impossibilis sit eorũ persequutio. Ergo si quis alius iterum illa ceperit, etiam si nescierit, sua non efficit: si scierit, etiam furtum facit: nisi animo restituendi ceperit. Ergo per contrarium si prædictis duobus modis tuam custodiam euaserint, & in naturalem libertatem se receperint, cuiusq; capientis etiam postea, uel ueteris domini capientis denuò efficiuntur. Superiora, quæ de amissione dicuntur, locum habent, nisi animalia fera manserint fera: si uerò facta fuerint mansueta, in amittendo alia regula est comprobata: puta in his quæ ex consuetudine auolare & reuolare solent, ut colũbæ: & ire & redire in syluas, ut cerui: tũc enim desinunt esse dominorum, cum reuertendi consuetudinem desierunt habere, denuò postea capientium fient. Porrò nostra domestica animalia etiam non fera, gallinæ quoq; nostræ, nec sic, nec sic desinũt esse, etiam si longius euolauerint etiam si noluerint redire. Ergo qui eas ceperit, si lucrandi animo fecerit, etiam furtũ committit. Quomodo ergo hic tertij generis animalia amittantur modis cõsuetis, id est si dominus inter uiuos alienauerit, uel si in testamẽto reliquerit. Permutatione dominium adquiritur similiter dupliciter, quod antea fuerat alicuius, & id quod antea fuerat nullius. Alicuius, ut thesaurus inuentus: distinguitur tamen thesaurũ quis inuenerit in suo an in alieno, uel in loco qui nec suus est, nec alienus. Et quidẽ si in suo inuenerit nõ data opera, suus erit: itẽ si data opera, sed nõ artibus magicis: tunc enim totus suus fieret. Si uerò in alieno & nõ data opera, similiter inuen-

toris fit dimidius: si data opera, totus domino quæritur uolenti, nolenti, ignorãti: ut. C. de thesaur. Ergo in fundo fisci, Cæsaris, cuiuslibet ciuitatis, priuati hominis. Quid ergo si inueniatur in loco qui nullius est, & in uia publica, & in campo Martio, in loco religioso? Adrianus statuit ut totus inuentori quæratur. Quid ergo dicemus, quia. ff. de iur. fisci. legitur dimidium fisco quæri? respondeo, legem istam per legem Institutorum corrigi: uel, quod magis mihi placet, utrũq; alio & alio intuitu uerum est. Quippe naturali ratione inspecta, facer locus & religiosus & thesaurus nullius in bonis sunt: ideò thesauri inuentori tantum adquiruntur. ut. ff. de iur. fis. l. non intelligitur. §. si in locis. Diui principes ciuili ratione inspecta dimidium fisco cõcesseruut, quia in bonis domini sunt: ergo & per consequentiam Imperatoris hominum censura censentur. Meo iudicio ciuilis ratio præualebit. Inuenisse autem eum intelligo, qui uel animo, uel affectu thesauri possessionem apprehendit, non eum qui casualiter fortè effoderit & tetigerit. Item dimidiam partem quæri domino, intelligo, id est ei qui uerè dominus est non secundario, superficiario, fructuario, emphyteutę. Est autem thesaurus uetus quædam depositio pecuniæ, cuius memoria non extat, uel pecunia ab antiquioribus dominis abscondita. Item per inuentionem fit inuenientis quod antea nullius fuerat: puta si quis ubicũq;, & maximè in littore maris gemmã inuenerit: cũ enim in bonis nullius sit, quod inuenit, quod capit, inuenienti cõceditur. De re sancta, sacra, religiosa opponitur: respondemus: nõ est in bonis ullius: qa in bonis dei hominum censura deputatur. De libero homine opponit: respondeo, homo natus est ut occupet nõ occupet, de occupãtibus regula datur.

Thesaurus qd sit.

De theatro opponit:respondeo,id quo ad usum est in bonis. In bonis nullius sunt,ergo occupāti conceduntur: respondeo, imò in bonis hæreditatis,quæ uice personæ ponitur, æstimantur: & ideo occupanti non conceduntur. Item opponitur de thesauro in alieno inuento, qui non totus inuentori conceditur:respondeo,si inuentori dimidius conceditur,ergo thesaurus per inuentionē occupanti conceditur. Nam quod pro parte meum est,meum dicitur: ut.ff.com.diui.l. si quis. Vel quod subtilius dici potest, inueniētis in alieno,totus fit. Sed inuentor ex æquitate dimidium domino soli dare debet. Quid ergo si creditor in pignore inuenerit:sibi dimidiū habebit nec in debitum computabit. Quid si mercenarius in fundo quo operat̃ inuenerit:sibi puto,quia inuenit,dimidium retinebit. Quòd si seruus communis in loco unius domini inuenerit, illi totum adquiritur, licet fortè uideatur quòd dimidium inuentori concedatur,aliàs decernitur etiam alijs dominis pro dominicis partibus tribuendum esse. Illud constat,quod seruus fructuarius in loco proprietarij inuenerit,in totum proprietarij erit:ut.ff.de acquir.re.do.l.si quis. Per occupationem quoq; fit occupantis, & id quod fuit alterius, & id quod fuit nullius.

Id quod fuit alterius,puta si quid rejciatur,& pro derelicto habeatur:nec enim rei meæ dominium sola uoluntate amitto, nisi quis intercesserit actus, licet in possessionem amittēdo sit secus:ut.ff.de acquir.possess.l.si quis. Quod nullius unquam fuit, cōceditur occupanti, ut insula nata in mari. Hæc enim cū in bonis neq; dei, neq; hominis sit,neq; uniuersitatis, & est occupabilis,occupanti conceditur: nec possidentibus circa littus concedit, cum littus nullius sit.

Per traditionem adquirūtur duobus modis,per

ueram & per tacitam, per uerã, aliàs per dominum tradentem, aliàs per dominum, ut si is tradat qui dominus est. Idem si alius mandato suo tradit. Idem si nomine domini: & dominus ratũ habeat: his enim casibus & dominus uidet̃ tradere. Per nõ dominũ trãsfertur dominiũ, etiam contra domini uoluntatem: ut per tutorem, ut per iudicem, per quasi censitorem: ut flumen, per legem, per creditorem, per principem rem alienam suam'ue tradentem: hoc si inter uiuos fit, & in ultima uolũtate, quæ tantum ualet ab aditione quantũ traditio inter uiuos: nam & quædam cum uniuersitate transeunt, quæ specialiter transire non possunt: ut fundus, domus, purpura. Per tacitam traditionem acquiritur dominium, ut si rem meam uolẽs tibi donare, eam in cõspectu tuo ponam. Idem si procul positam & à me tamen possessam retro tibi ostenderem. Idem si rem quam tibi accommodaui & uendidi, apud te ut maneat patientiam præbui. Idem si rem meam sciens à te conduxi. Idem si rei meę à te perditæ æstimationẽ accepi: dominus enim factus es maxime si res præsens sit. ut. ff. de rei uendicati. l. hæc. Idem si tibi donare uolens rem meẽ, ipsius usumfructũ excepi. Idem si societatem coierim, etiam sic iure acquiritur dominiũ. Interdũ alia re tradita acquiritur dominium alterius, ut instrumẽto emphyteuticali in quo cõtinetur emptio prædij: nempe si tale instrumentum ex donatione sit traditum, prędium intelligitur traditũ: meo iudicio, etiam si traditio non sit facta iuxta prædiũ. Porrò traditione clauiũ, rerum mobilium uenditarum, quæ sunt sub clauibus, in emptorem transfertur dominium. Sed tria oportet concurrere, id est ut traditio sit facta ex causa præcedente dominij transferendi, & sit facta per dominum, uel partium uoluntate

penes horreum. Ideo diximus rerum mobilium, quia si uendidi domum uel horreū, etiam si claues tradidi, iustum dominium, meo iudicio, in emptorem non transtuli. Illud notandum est, quòd etiam si emptio præcesserit & traditio sequuta fuerit, dominium nō transit, nisi pretium sit solutum, uel aliter factum satis, uel fides emptori sit habita: specialiter tamen pretio non soluto rei fiscalis in emptorem non transit dominium: ut. ff. de iur. fisc. l. si procurator. Idem si seruus possessionem bona fide emerit, & nondum pretium tradiderit: ut. ff. eo. l. si seruus. Interdum etiam si plus quàm pretium sit solutū, quia nihil sit solutum, non transit dominium: puta, seruus fructuarius debens pretij nomine decem, ex re singulorum, id est tam proprietarij quàm usufructuarij, dena simul in sacculo soluit: & sic nihil fecit accipientis. & ideo nondū adquisiuisse cuiquam dominium uidetur: quia cum pretio plus soluit seruus, non facit numos accipientis: ut. ff. de usufruct. l. sed & si quis. Sicut enim aliter qui nihil soluit, minus soluit: ita & hic qui plus soluit, nō soluit. Planè ex cæteris causis ab emptore facta traditio, sine aliquo tertio transfert dominium. Exposuimus quemadmodum dominium adquiratur per apprehensionem: nūc uideamus quomodo per accessionem acquiratur. Acquiritur autē duobus modis: per discretam scilicet accessionem, & per continuam. Per discretam aliàs de re ad personas, aliàs de re ad rem. De re ad personas, puta ubi ex animalibus nostris fœtus, uel ex ancillis nostris partus nascitur. Idem in insula quæ in mari nascitur. Idē in specificatione per operam, cuius natura qualis sit inferiora declarabunt. De re ad rem discreta fit accessio, ut si insula nascatur in flumine: natà enim in medio præter omnem occupa-

tionem fit utrorũq; possidentiũ. Si uero sit proximior alteri ripæ, eorum fiet tantum qui possident, eatènus tamen, quatènus insula cũ nascitur frontem agri cuiusque respicit: quippe nata parua, si postea producatur & fiat magna, non tamen inferioris uicini fiet: ut. ff. de acquir. rer. domi. l. adeò quidem. Superiora sunt uera de ea insula quæ in solo flumine nascitur. Ea quoque quæ in superficie fluminis, uirgultis uel arundinibus copulantur & sustentantur: ut. ff. eo. l. insula. Sanè si flumen alicuius circundederit agrũ, ueteris domini manet: licet enim dicatur insula quia formam habet insulæ, non tamen est insula: & ideo propriè non cedit possidentibus. Sicut enim inundatio aquarum, ita nec circundatio fluminis, fundi proprietatem mutat. Adquiritur per accessionem cõtinuam, ut si flumen in fundum tuũ de alieno crustam intulerit, ita tamen si iam unitatem cum tuo fecerit: quod ex eo apparebit, si arbores quas traxerat, ibi iam radices egerint. Inde est quod postea si inueniantur erutæ, quia tamen factæ sunt alienæ, à priori domino nec utiliter uendicabuntur. Idem in eo quod est feruminatum, idem in tabula depicta, meo iudicio, licet inueniatur abrasa: secus in margarita, gemma, tigno: hæc enim præter tignum exhibenda sunt, & exhibita uendicabuntur. Per alluuionem quoq;, quod est incrementum latẽs, acquiritur, sicut per incrustationem: per impulsionem quoq;, quæ est incrementum patens, puta si flumen alueum dereliquerit: fit enim propè possidentium. Ergo meus ager, quẽ sibi alienũ fecerit, fit publicus. Quid ergo si redierit ad priorem alueum? meus quondam ager propter uicinitatẽ propè possidentiũ fit. Sed uix est ut id obtineat, quia redit ad priorem dominũ, & sic nõ obtinebit: uel aliter uix obtinebit,

ergo obtinebit:sed de iure rei,id est de rigore iuris:nam quod uix fit, utiq; fit, sed æquitas præualebit,& ad dominum redibit. Est autem magna uis fluminis,quippe aliàs tantũ possessionẽ aufert: ut cum aquis operit, aliàs proprietatem adimit.hoc fit quatuor modis:nempe meum facit alienum,& ecõtrario, suum facit meum &c. ut cum meum agrum sibi facit alienum, sicut dictum est in præfatis exemplis, accessio fit de re ad rem. Per specificationem acquiritur dominium specificanti tribus concurrentibus, id est siquis ex materia aliena & nomine suo, & si facta species non possit redigi ad primam materiam:ergo si mala facta sit, etiam si resolui non ualeat,uel bona, sed resolui tamen ualeat: quia dominus materiæ, dominus fuerat speciei, puta uas factum est ex argento alieno, quaqua fide factum fuerit quia resolubile est, dominus materiæ dominus erit speciei. Idem si non resolubile specificãtis erit, ut uinum, oleum, mulsum, dabiturq; specificanti retentio & actio. Porrò domino quondam uuarum baccarum dabitur exceptio:sed non speciei, nec utilis uendicatio. Quod enim dicitur uestimentum confectum ex lana donata à uiro uxori utiliter uẽdicari. ut.ff. de dona.inter uir.& uxo.l.utilem.non obloquitur:nam & lana donata de facto nõ iure,si extaret directo uendicaretur: & ita hanc sententiam erroneam iudico. Porrò illam antiquissimam dico,ut miser uuarum dominus omnis actionis ad instar bonæ fidei ædificatoris, careat auxilio: ergo actionem in factum habebit, uel condictionem,non ad petendam speciẽ, sed ad uuarum quondam æstimationem:ut.ff.de rei uendi. l.in rem.Ergo in casu specificationis illud regulariter traditũ uitiatur, quod ex mea re fit, meũ esse. Verius est porrò in quinq; casibus:respondeo,locum

deo, locum habet: puta, si quis nomine suo quid ex re sua fecerit. Idem si ex mãdato domini, ipsi domino alius. Idem si nomine domini alteri, & dominus ratum habeat. Idem si quis mala fide ex aliena materia sibi quid fecerit. Idem si bona fide & species resolui possit. Quid ergo si quis manicam suo uestimento cum purpura intexuerit? manica uestimento cedit, id est effugit ciuiliter, & amodo non censetur per se: hoc est, quod qui dominus fuerat uestimenti ante manicæ intexionem, similiter & post intexionem manicę, dominus erit totius uestimenti, non tamen manicæ: nempe dominus quondam manicę, dominus non desinit esse manicę, sed tantisper nõ poterit uendicare: idem in tigno ac gemma. Sanè hæc omnia, præter tignum, per actionem ad exhibendum sunt extrahenda, & hęc omnia etiam tigna exhibita uendicabũtur, nisi uel per actionem de tigno iniuncto, uel per aliam prædictorum præstita sit æstimatio: secus in ferruminatione, nam si brachium ferruminatum fuerit abruptum, non uendicabitur. Sed nec picta tabula si inueniatur abrasa, nec arbor, sicut dictum est, eruta: nec uendicatur tota manica, nec cætera: quia non possidentur, quia per se non cẽsentur, quia cedunt, quia eruta sunt, id est in numero nõ ponũtur. Extinguitur autem res ciuiliter & naturaliter, ut si res sit exusta. Ciuiliter dupliciter, ut per irrogationem, ut peccata: per accessionẽ, ut in auro, gemma. Sanè hæc accessio aliàs adimit dominium, ut in ferruminatione, in arbore, in tabula picta: aliàs conseruat, ut in manica, gemma. Ergo hoc uerbũ, cedit, aliter accipitur in tigno, sicut expositum est, aliter in ferruminato siue depicto, aliter in sato, plantato. Quid dicemus quod. ff. de usucap. l. rerum. & aurũ possideri, & gemmã, legitur? ergo utrunque uendicari

poterit. Distinguitur posse tripliciter fieri: Si gemma cedit auro, solum aurum interim uendicabitur: Si aurum gemmæ, sola gemma: si neutrum neutri cedit, utrunque possidetur, & utrunque uendicabitur, puta quia ideo coniuncta sunt ut habilius perferatur, ut. ff. de aur. & mundo legato. Confusione quoque transfertur dominium & acquiritur, puta si duorum dominorum materię uoluntate eorum fuerint confusæ: corpus enim ex his redactum, commune fiet pro rata materiarum si nõ sit aliud actum, & hoc erit: siue fuerint materiæ eiusdem generis, ut uua & uina: siue diuersi generis, ut uinum & mel, aurum & argentum. Idem si alius ex mandato dominorum confuderit: idem si sine mãdato, dominorum tamen nomine: idem si casu: idem si dominis nescientibus & contradicentibus. Hoc tamen ita, si confusio facta sit, uel ex uuis uinũ, uel ex melle & mero mulsum, separari nõ ualet: si uero separari possunt, confusio non facit communem: ut. ff. de rei uendicatione. l. quarta. Hoc ergo casu alia secunda species facta licet uideatur, rudiusculum erit nostrũ, sed non nostra communis: ut. ff. de acquirendo rerum domi. l. lacus. Superiora tamen ita locum habent, si is qui confuderit, non sibi soli nec materias suas putans cõfundi: tunc enim specificatione iure facta, species sibi soli specificãti conceditur. Itẽ mixtione specierum acquiritur dominium, sed duntaxat si fiat uoluntate dominorum, aliàs mixtio non transfert dominium: siquidem in aceruo frumenti, licet cum difficultate, suum poterit uẽdicare. Ergo in tribus differt à mixtione confusio: nempe quæ confunduntur in aliam materiam transeunt, species mixtæ in sua natura remanẽt. Item confusa quomodolibet fiunt communia, sed immixta duntaxat uoluntate. Illud notan-

dum est, quòd cõfundere dicitur quis licet abu- siue frumẽta misceat: ut. ff. locati. l. in naue Saupheij. Quid ergo dicemus quod. ff. de solut. legitur. l. si alieni, si quis alienos numos sibi solutos cum suis miscens, facit suos? profectò id euenit per solutionis naturam, uel per numorum prærogatiuam: maxime cum eiusdem generis numi non ualeant dignosci. Per ędificationem quoq; res rei cedit: puta, si quis in solo suo domum ex materia fecerit aliena, uel ædificari mandauerit, uel quodcunq; fecerit ædificiũ: ædificium quidẽ suum est, materia autem minime: nã nec esse poterit ut domus tota sit mea, & nil eorum ex quibus domus sit confecta, esse meum. ergo tignum alienum in domo mea positum ueteris domini est. Sed tantisper nec ad exhibendum agit, nec ullo modo directò uel utiliter uẽdicat ab eo, qui bona fide habet iniũctum, & in hoc casu domino uendicatio non datur: quia tignum, utpote exemptum nemo possidet: sicq; non est contra quem agatur planè: contra bonæ fidei possessorem duntaxat de tigno iniuncto in duplum agitur, sed contra eum qui abripuit & habet iniunctum, agi potest actione furti, & cõdictione furtiua, & ad exhibendũ, & utili rei uendicatione, & de tigno iniuncto. Si uerò non surripuit, sed tãtũ mala fide habet iniũctũ, tribus actionibus dũtaxat aliquando conuenietur, utili ad exhibendũ, & utili rei uendicatione, & de tigno iniũcto. Sanè si per unã fuerit exactum, nisi in altera fuerit amplius, per alterã nõ exigetur: sed hoc uideatur absurdũ bona fide habentẽ iniunctũ cõueniri in duplũ, quia clemẽter agitur secũ quod non extrahit: & sic nõ diruit ædificiũ. Porrò diruto ædificio & post ædificij præscriptionẽ, materiã dñs uẽdicabit: licet em̃ materia prẹscribitur, tamen utpote extincta, cũ nõ possideatur in

ædificio, non usucapitur: nisi fortè, cum domi-nium gerebat, decem tantum dies uel pauciores de usucapione implenda supererant: tunc enim non uendicabit. sed nec si duplum per actionem de tigno iniuncto percepit: uolens enim agere, summouebitur exceptione quasi rei uenditæ. Et ex diuerso si quis in alieno solo bene male'ue ædificauerit, siue ex sua, siue ex aliena materia, illius ædificium erit cuius & solum: sed si ex sua materia in alienũ mala fide ædificauerit ab ini-tio, materiam amittit & operam, nec ullo modo iuuabitur, agendo, excipiendo, officium iudicis implorando, abradendo, nisi bona fide emerit solum, ut posthabita rei alienæ scientia ędificiũ imposuit. Sanè bona fide ædificans, dũtaxat ex-ceptionẽ, si sit in possessione, nõ actionem in fa-ctum uel utilẽ negotiorum gestorum, ut quidã dicũt, uel quam amauerit, habebit: ut. ff. de dol. excep. ergo materia post ruinam non semper uẽ-dicabitur: nempe in alieno à domino posita ma la fide, non uẽdicabitur, sed in alieno posita bo-na fide uendicabitur à domino. Item in suo pro-prio solo materia cuiuscunqꝫ à quocunqꝫ posita non redibit post ruinam ad dominum. Seruabit autem impensas is qui in alieno ædificauit bo-na fide, non ut cogatur, nisi uelit ædificium tol-lere. seruabit autem impẽsas, si tamen ualet ædi-ficium plus: si minus, nõ omnes: ita tamen si do-minus soli diues fuerit, & eadem facturus lari-bus auitis non cariturus, uel pauper & ilico uen diturus: alioquin tantum tollere poterit. Si uero nihil laturus sit nisi ut officiat, non tollet: si ta-men dominus, quantum ablata ualent paratus sit dare. Enimuero is qui refecerit, & bona fide sumptus quos fecerit, per doli mali exceptionẽ seruabit: sed & per iudicis officium, quod etiam mala fide reficienti tribuitur: fortè & bona fide

reficienti, si non habuerit possessionem, utilem habebit actionem: sed licet quidam dicat aliud, ædificator minime. Is quoque qui mala fide reficit in rei uendicatione, pro necessariis sumptibus officio iudicis iuuabitur, ut illos tollat, si tolli sine læsione possunt: uoluntarios, minime. In petitione hæreditatis utiles per officium consequetur, uoluntarios abradet. Superiora tam uarie, quia longe aliud est facere, quàm in rem factam expendere. Plantata quoque cedunt solo: ergo si quis alienam plantam in suo plantauerit, etiam si surripuit, sua fit, si coaluit: nõ quia surripuit, sed quia coaluit: & sicut dictum est, postea licet inueniatur eruta, non uendicabitur, sed furti conuenietur. Sane si nondum coaluit, agetur ut eximatur, postea uindicabitur. Sed si quis bona fide plantam suam in alieno plantauerit & coaluerit, domini fit soli: si uero in fundo alieno plantauerit, & coaluerit, domini fundi efficietur. Quid ergo si bona fide plantator possideat? per retentionem contra uendicãtem, sicut ędificator, consulet sibi: alioquin, carebit auxilio. Sed quid fiet si alienam plantam in suo plãtauerit & coaluerit? dominus quondam plantæ etiam illam erutam nõ utiliter, nec directò uendicabit: porrò sicut dominus uuarum, ad æstimationem plantæ aget per actionem in factum. nam & dominus tigni in alieno ædificio positi æstimationem, etiam duplum, petit, licet ipsum uendicare non possit. Sata quoque, sicut & plantata, solo cedunt, sed ita, si fuerint nata: nam frumenta tua in alieno sata, & sine uoluntate tua, nondum, licet cum difficultate, poteris uẽdicare, sacco exportare, singula colligere. Scripta, licet sint aurea, cedunt chartæ: ergo chartarũ dominus poterit uolumina scripta retinere, etiam contra bonæ fidei scriptorem, poterit nullo da-

to uendicare,similiter & à malæ fidei scriptore: planè à bonę fidei poterit uēdicare, sed summo-uebitur doli mali exceptione,nisi offerat pretiū scripturæ:ergo bonæ fidei scriptori, sicut bonæ fidei ædificatori,dabit exceptio. Si quis in aliena tabula pinxerit,quidam dicūt picturā tabulæ cedere,sicut litera chartę(quia nec litera sine charta,nec pictura sine tabula esse potest) alij putauerūt semper picturæ tabulam cedere,propter dignitatem picturæ. Harum sententiarum unam Imperator noster eligit, id est ut semper qualisqualis tabula,cedat qualiquali picturæ. Nec enim admittimus illam tertiam sentētiam erroneā, quæ nusquam legitur, id est ut nō pretiosa pictura cedat tabulæ magni pretij: licet enim dicatur ridiculum fore picturam Apellis uel Parrhasij in accessionem uilissimæ tabulæ cedere,quia semper tamen non est locus cōtrario intellectui, non debet magni pretij tabula trahere ad se uiliorem picturam:nam licet pupillorum fauore dicatur eum sine tutoris autoritate manumittere non posse,nec tamen sine eo hæreditatem,etiam quamuis lucrosa sit,adire potest. Sed & illud in argumentum accedit,quòd si Imperator intellexisset aliquādo picturam tabulæ cedere,æquè competenter, imò competentius dixisset:sed nobis melius uidetur tabulæ picturam cedere,cum tabula sine pictura, non pictura possit esse sine tabula:aut si secus intellexisset,sicut dixit,specificatione dixisset,sed nobis media sentētia placuit.ergo pictor,cum dominus sit picturæ, directò poterit iconam ab omni possessore uendicare, ab extraneo nullo obstante obice. Sed si uendicauerit à domino quondā tabulæ,summouebitur doli mali exceptione,nisi obtulerit pretiū tabulæ.Itē domino quondā tabulæ utilis uēdicatio iconæ dabitur

contra omnem possessorē, sed utiliter uēdicabit à bonæ fidei pictore: uersa uice summouebitur doli mali exceptione à domino picturę: nisi precium picturæ obtulerit casu à quibusdā falsa & erronea dicitur sententia, ut petentis melior sit causa. Item illud nō admitto, quod ab aliquibus dicitur utilē actionē, id est in factū domino quondā tabulæ dari, non utilē uendicationē ad imaginis petitionem. Itē indistincte puto etiam mala fide pingētem, dominū iconæ fieri: si uerò tabulā surripuit, furti cōuenietur. Sed & siue pictorem, siue dominū tabulæ quondā imaginis possessorem, præferendum petitori censeo. nam cum possit, si nō possideret, agere, multofortius iure communi, si possidebit: si maluerit retinere quàm imaginem dare, poterit retinere, si tamen alter alteri obtulerit pretiū picturæ uel tabulæ. ergo si is, qui possidet, uel nolit uel non possit offerre, necesse habebit iconā petitori dare, si petitor pretiū obtulerit picturæ uel tabulæ. Secundū hoc utricꝫ, id est pictori & dn̄o tabulæ, dabitur unica actio, id est uēdicatio, & gemina exceptio. Vna, per quā pictor possidēs, si mauult restituere dn̄o tabulæ petēti, consequetur ab eodē pretiū picturę. Altera est per quam imaginē retinebit, si petēti obtulerit pretiū tabulæ. Idē ecōtra, si quondā dominus tabulæ iconā possideat & pictor petat. Ex his quæ dicta sunt notare possumus, picturæ sex sentētias, quarū tres probo, tres reprobo. Tabulā semper picturæ cedere, picturā quādocꝫ tabulæ, & bonæ fidei pictorem tātum fieri dominū, & male fidei quocꝫ pictorē, hoc ego probo. Sed ita si alter possideat, utercꝫ & dominus tabulæ, & pictor seorsum uenies, efficaciter uēdicabit. Si uero simul ibāt, pictor habēs directā domino tabulæ habenti utilē, præferri debebit, ergo in pictura quincꝫ sunt

specialia. Primũ est, quia utriq; datur actio. Secundũ est, q̃a si alter possidet, neutra actio neutri præiudicat. Tertiũ est, quia licet pictura non possit esse sine tabula: non tamen cedit tabulæ, sed tabula cedit picturæ. Quartum est, quia si pictura inueniatur abrasa, dominus tamen tabulæ quondam, meo iudicio, illam directò non uendicabit, sicut ferruminatum etiã si sit abruptũ, & quod coaluit etiam si sit erutum. Quintũ est, quia utriq; competit actio, & gemina exceptio. Illud sextum reprobo ut petentis melior sit cõditio. Quid dicemus si pictor nõ possidens, oblato pretio tabulæ, fuerit consequutus iconam? nunquid postea alter ablatũ si offerat ut det iconam, poterit cõueniri? ego minime: nam cũ prestium sit datũ quasi emerit, exceptione rei quasi uenditæ & traditæ uti ualebit. In summa notandum est: cum sit pictura, non fieri speciem. ergo licet possit abrasa redire in tabulam, non tamen icona domini tabulæ, sed pictoris fiet: maximè, cum id sine læsione fieri non possit: uel si conceedatur factam esse speciẽ, dicatur in pictura speciale: meo iudicio, pictura hic intelligat̃, si quis depinxerit hominem, non ursum uel leonem. Itẽ meo iudicio, ita intelligatur, si pictura nõ de calce uel encausto conficiatur, sed de coloribus uarijs confectis depingatur. Fructuũ quoq; perceptione iure gentium dominiũ acquiritur, puta si quis à non domino fundũ emerit, & seuerit: fructus, inquã, illi ab eo sati & postea à quocunq; percepti bonæ fidei possessoris fiunt. Fructuarij & coloni fiũt ita demũ, si ab eis uel ab alijs eorũ nomine percipiãtur. Porrò domini soli sunt etiã cũ fundo cohærent. Bonæ fidei autẽ possessor à domino uictus, fundũ restituet cũ fructibus naturalibus extãtibus, forte hos etiã cõsũptos restituet. naturales enim percipiendo, etiã si bonæ

fidei possessor titulo gaudeat, suos nõ facit. nec obstat quod. ff. de acquiren. re. do. l. fidei. legitur bonę fidei possessorē omnes fructus suos facere. Sic enim intelligo nõ naturales, sed omnes iudiciales, id est hominis opera prouenientes. Ergo bonæ fidei possessor de extantibus tenebitur, de consumptis non, nisi uel sumptũ uel usuram repetat in rei uendicatione; & si sit locupletior factus, tenebitur hæredi. ergo bonę fidei possessor in utraq; actione, etiã si titulo careat, de percipiendis non tenebitur. Porrò malæ fidei possessor carens titulo de omnibus tenebitur: ut. C. de usufruc. l. v. enimuerò titulo gaudens à percipiẽdis, nisi à fraudatore emerit, excusabitur. Cætera quæ restant de fructibus deq; possessionibus, ex summa, quam feci Mantuæ, de uarietatibus actionum diligens lector inueniet.

DE REBVS CORPORALIBVS ET INCORPORALIBVS.

TITV. II.

EXpedita est in superioribus illa diuisio rerũ corporaliũ, aliæ sunt cõmunes, aliæ publicæ & cõmunes. Sequitur rerũ omnium: aliæ sunt corporales, aliæ incorporales. Corporales sunt quæ tangi possunt. ergo ea quę sunt in abysso uel infixa cœlo, corpalia sunt. Licet eñ nullus ea tãgere possit, tñ tãgi possunt, id est tangibilia sunt. Incorporalia sunt quę tãgi nõ possunt, nec aliis corporeis sensibus subiacẽt, ut hæreditas, ususfructus, usus, obligatio, actio. Sed & ea quæ in iure nõ cõsistũt, incorpalia sunt, ut genera, & species, & cacodæmones, & animæ hominũ, & anima mundi. Sed de his ideo exemplũ nõ datur, quia ad leges non pertinẽt. Itẽ res icorporales sunt prædiorũ iura, id est seruitutes rerũ, hoc est urbanorũ & rusticorũ prædiorum.

DE SERVITVTIBVS.
TIT. III.

DE seruitutibus rerum sequens titulus incipit, uideamus itaq; quid talis seruitus sit, quis possit eam constituere, & cui, & quæ sit diuisio harum seruitutum, & qualiter constituatur, retineatur, amittatur. Seruitus est cōstitutio qua domus domui subijcitur, rus ruri subiugatur. Seruitutem cōstituit directò, dominus: & utiliter, nō dominus. Sanè per cessionem domini pro parte, licet ipse postea non possit inhibere, non tamen seruitus constituitur plenè: ut.ff.com.præd.l.ulti. ergo sicut ediuerso potest habere prædium, cui seruitus constituitur. sicut enim debere potest seruitutem, ut realiter constet, non nisi is qui prędium habet, licet non habēs se obliget ut æstimationem præbeat. Seruitutum realium aliæ sunt urbicæ, aliæ rusticæ. Vrbicarum aliæ sunt affirmatiuæ, ut prospicere: aliæ negatiuæ, ut stillicidium non recipere. hanc autem negatiuam possessionem, remissionem intelligo: & itaq; non est uerè seruitus, sed quasi: nam si aquam meam seruitutis iure susceperis in tuo, & remitto, necesse habeo illā aquā retinere in meo: & sic domus mea, quæ primum erat libera & domina, facta est tua quasi serua. Rusticæ seruitutes, quædam sunt innominatæ quædam nomina habent. Innominatę, ut ius pascendi, pecoris appellēdi, Has tamen, quia possunt esse personales, ita intelligo reales, si prædiorum fructus cōsistat in pecoribus: ut.ff.de seruitut.rustic.præd.l.iiij. Nominatæ sunt hæ: ut actus, uia, aquæductus. Iter est ius eundi tātum, uel ambulandi tantum, uel faciendi utrunq;, nō agendi iumentum uel uehiculum. ergo qui in equo uehitur, ambulat. Item non iumentum agēdi: nam si ambulat, it, sed non conuertitur:

ut.ff.eo.l.inter.& l.qui sella. Actus est ius agendi & non eundi: quippe ita potest constitui, ut agatur,& non seorsum eatur:etiã si actus potest esse sine itinere,quod ius est:ut.ff.si seruit.uẽdic. l.iiij.nam iter quandoq; non est ius:ut.ff.de seruit.l.j.ergo hoc non est iter,& designatiuum est iuris:sine hoc potest esse actus,& designatiuum est facti,id est itionis:sine itinere,non est actus. Iter uulgariter ipsum solum per quod itur,uocatur: trames, callis, uia, semita. Via est ius eundi,& agendi:non tamẽ uia est iter uel actus: licet contineat iter & actum: nam si esset iter, esset ius duntaxat eundi:si actus,esset ius agendi tantum. Aquæductus est ius aquæ ducendæ per fundum alienum. sicut enim nemo suum recipit,nemini suum datur,uel debetur,ita nemini res sua seruit: ut.ff. de seruitut. urb. præd.l. in re. Constituitur seruitus multis modis, stipulatione,contractu, uenditione, & genere relicti,iudicioq; diuisorio, natura quoq; loci:puta,ut fundus inferior seruiat superiori: ut.ff. de aqua plu.ar.l.in summa. Item tempore longæuo,loco quoq;:sed ita demũ,si sit seruitus naturalis continuam & perpetuamcausam habẽs,ut seruitus tigni,stillicidij, aquæ ducẽdæ, & foraminis,si aquam de cœlo suscipit. Porrò iter tempore longo nõ quæritur,quia eius possessio non est cõtinua:ut.ff.eo.l.seruitus.retinetur seruitus cuiusq; per se utentẽ,per aliũ quoq;,& per malæ fidei possessorem. Amittitur confusione,& non utendo:nisi sit iter ad sepulchrũ:ut. ff.quemadmo. seruit. amit.l.iiij. Amissa interdum restauratur,puta si fons Satrianus, qui exaruit, ad uenas remeauerit: ut .ff. de seruit. rustic.præd.l.& Attilicinus. Sed & si seruitus fluminis impetu, uel per aliam ruinam perierit, reuocanda est; ut.ff. eo. l.locus. In summa sciendum est,

quòd seruitus prædíj, habitus prædíj appellat. Item sciendum est, quòd natura seruitutũ ea est, non ut quis quid faciat, sed ne faciat, uel ut patiatur: ut. ff. de serui. l. quoties. Item illud notandum esse puto quòd rusticũ prædium seruit urbano: ut. ff. si seruit. uendic. l. testatrix.

DE VSVFRVCTV.

TITV. IIII.

Vsusfructus quid sit uideamus. In primis sciendum est, quod usufructus aliàs à lege conceditur, ut pater in rebus filíj: aliàs ab homine tribuitur: de hoc agamus. Et quidem triplex est ususfuctus, qui est forma, ut in nõ domino. Est usufructus qui est nisi causa, ut in domino. Est ufusfructus tertius: puta, ut alius habeat proprietatem, alius usumfructum, tertius fructuum perceptionem: ut. ff. de iur. dot. l. proculus. Vsusfructus qui est forma cũ utilitate definit sic: Vsusfructus qui est ius, hoc nomen ponitur tanquàm genus, & ut secernatur à uenditione: puta, quę facti est: & quia actio est ius, additur utendi: & quia nudus usus est ius utendi, additur utendi, fruẽdi, id est omnem fructũ percipiendi. additur rebus alienis. & quia superficiarius hoc totum habet, additur salua rerum substantia: ut res excludantur, quæ usu consumuntur, in his: quia senatus nõ potuit usumfructum constituere, quasi usumfructum cõstituit, cautionis introducto remedio, de tanta pecunia restituenda: & hæc cautio non remittitur, omissaq; condicitur: ut. ff. de usufruct. ea. re. quæ usu con. l. iiij. Vel quod dicitur salua rerum substãtia, ita intelligatur in præbẽda cautione. de salua substantia, id est ut arbitrio boni uiri utatur: quod extabit, finito usufructu, restituat. Si quis ergo uestimenti græci usumfructum habens, si

ipsum attritũ redditur,non tenebitur,si sine do-
lo attriuerit : ad hoc enim uestimẽtum habetur,
ut induatur. Hanc cautionẽ omnis fructuarius
prçter patrem exponit:ergo si nomine rei fruen-
dæ,fructuario uel usuario traditç non sit cautũ,
dominus uendicabit, & bona fide uel usu cepe-
rit,dominus replebit:ut.ff.usufruct.quemad.ca-
ue.l.iij.Constituitur ususfructus pacto,stipula-
tione,iudicio relicto,& ipso iure,& per obliga-
tionem,per adiudicationẽ prætoris:hoc est, ubi
primo is cui relictus est,alij restituere iussus est.
natura uel tempore non constituitur. Multipli-
citer finitur:ecce non utendo per decennium,ui-
cennium:excipitur, nisi sciẽs se habere usumfru-
ctum,tantũ utatur:sciens enim retinet,sed usum
fructum ignorans amittit : ut.ff.quib.mod.usus
uel ususfruct.amit. l. is qui. Porrò ciuitati reli-
ctus centũ annis finitur: idem fiet si ciuitas ara-
trum patiatur,ut Troia,Carthago : ut. ff.eo.l.si
usus fructus. Finitur quoque si concedatur pro-
prietario.sanè si concedatur extraneo,nihil agi-
tur:licet enim usumfructum accipiat extraneus,
tamen non habebit eum,imò reddit:agit tamen
aliquid, quia amissus ad dominum redit, uel,
quòd melius dici potest, usus fructus finitur, sed
proprietario ceditur:nam extraneo cedendo, id
est concedẽdo, ut uendẽdo, donando, nihil agi-
tur,id est non finitur:nempe licet fructuum per-
ceptio trãseat ad emptorem,tamen ius quod est
usus fructus,remanet penes uenditorem. Itẽ no-
tandum est, cum dominus in re sua usumfructũ
constituit,id præbet quod non habet:ut. ff.eo.l.
quod nostrũ. hoc ideo:quia causa transit in for-
mam, & postea forma redit in causam. Item cũ
usumfructum emam, à uendente discedere non
potest,nisi uel moriatur,uel causa minuatur.Itẽ
dominus proprietatis nudç,qui nec causam ha-

bet nec formam, propter speciem, rectè usumfructum constituit: ut. ff. eo. l. si dominus. Item: licet secus sit in Vasallo & emphyteuta, inuito domino usumfructum fructuarius rectissimè uendit. In summa illud sciendum est, quod mirabile est, tunc demum reuerti usumfructum cum fuerit extinctus: nam & frumenti granũ non aliter fert fructuarius dominus, nisi fuerit mortuũ. Item homo iustus contrà oritur, cum moritur.

DE VSV ET HABITATIONE.

TITV. V.

DIscernitur à fructuario usuarius, qui sibi tantum, quantum est necessarium, percipit fructum. Item fructuarius facit opera rustica, usuarius minime. Item ex opera fructuarij serui, fructuarius quærit usum, non, nisi etiam rei adsit adminiculum. Item fructuarius uendere potest & locare fundi usumfructũ. Sanè usum domus usufructuarius nec seorsum locare poterit. Sic autem exaudio usum, nõ nudum usum alienare nõ posse, scilicet per uoluntariam alienationem: nempe inter duos usuarios per iudicem necessaria contingit alienatio: ut. ff. cõmu. diui. hoc amplius, licet fructuarius agnis & lana fruatur, modico lacte utetur. Subditur ratio: quia in fructu sunt, id est, in usufructu: hoc est, ita pertinet ad fructuariũ, quod non est ad usuarium. Enimuero usuarius de naturalibus minime, nisi tantum in rure: nec defert ad oppidum, nisi magna fuerit ubertas fructuum: ut. ff. eod. l. plenum. Hisdem modis constituitur habitatio, sed fortè non finitur nisi morte, fortè nec donatio, licet fructuarius domus usumfructũ donet: ergo minus habet habitator, quàm usufructuarius habet. Item plus habet habitator, quàm is qui traditum habet usum: locat enim seorsum,

DE VSVCAPIONIBVS ET LONGI TEMPORIS PRAESCRIPTIONIBVS.

TIT. VI.

DE usucapione siue de præscriptione illud notandum puto, quod dicitur. Quod autem ad eas res, quæ solo continentur, expedit, potest tribus modis intelligi: puta, si quis sine hęrede decesserit: si quis possessiones neglexerit præsens: si quis longo tempore absuerit. Hoc ultimum uidetur uerum, si nullus occupauerit, sed & si quis occupauerit profectus ad nũdinas, possessionẽ non amittit, nisi uel se repelli suspicatur, uel ueniens non admittitur: ut. ff. de acqui. pos. l. clam. Imò uacans possessio dicatur amissa tempore, si fuerit longum tempus, intelligo decennium abiecta negligentia. nec est absurdum si possessio uacãs longo tempore amittatur: nam & dominiũ similiter amittitur. Nec obstat quod dicitur, profectum ad nũdinas possessionem retinere: nempe eius possessio non uacabat, quando perrexit ad nundinas. talem uacantem possessionem, licet eam occupans non præscribebat, quia mala fide possidebat, ab eo tamen accipiens etiam bonæ fidei titulo, quondam præscribebat: sed hodie minime, nisi uerus dominus suũ ius & alienationem factã sciuerit. Illud notandum puto quòd rei litigiosæ uitiũ, inter eos duntaxat, qui litem mouent, usucapionem impedit: ut. C. de long. temp. præscrip. l. j.

DE DONATIONIBVS.

TITV. VII.

DE donatoribus illud notandum puto, quia curialis donat licet uendere nõ audeat: ut. C. de reb. decur. nã & mulier do-

nat,licet nō intercedat.Item si remittatur quod fuit ultra quingentos solidos:meo iudicio, non exigitur insinuatio : ut. ff.eod.l.eum.nec qui remittit propriè donat:ut.C.ad uelleia.Item,meo iudicio,donator causa mortis conueniri nō potest,ut in donatione:licet forte hæres eius ad instar legatarij ualeat artari.

QVIBVS ALIENARE LICET, VEL NON.

TITV. VIII.

IN hoc titulo illud notandum est, quia licet pupillus nullam rem sine tutore possit alienare, adultus tamen sobrius, quæ seruando non seruantur,etiam sine curatore,meo iudicio, alienabit:ita tamen,si curatorem non habuerit: nam contractus hominis sub curatore constituti,sine curatore celebratus, nō est absimilis cōtractui furiosi uel prodigi : ut. C. de rest. mino. l.iij.Item illud notandum est, quòd alieno directò datur:ut.ff.si alienum. licet hoc mirabilissimum uideatur,quia utrunq;, uel saltem libertatis datio,debet ualere. Nam cum serui alieni institutio per se facta ualet,non debet uitiari adiecto eo quod est inutile,ut est libertatis donatio: ut.ff.si cert.peta. Sed & si seruus eius qui capere non potest,interea manumissus fuerit, si uolet, hæres fiet:ut.ff.de acquir.hæred.l.si seruus.Sanè aliàs,eius qui capere non potest,seruus, non rite instituitur.Item seruus eius qui portatur in uentre,captiui quoq; seruus,& captiuus rectè instituitur.Item seruus hæreditarius , si modo eius quondam dominus institui poterit. Institutus autem à non domino unius domini seruus,si iubente domino adierit, illi hæreditatem quærit. Si seruus plurium,illi qui iusserit , uel omnibus qui iusserint, pro dominica parte quærit:si uerò unius

unius iuſſu tantum adierit, hæreditatis acquiſi-
tio peti debuit: quippe ſi interiecto tempore mo
dico, etiam alÿ iuſſerint, etiam illis ex poſtfacto
retro quæſiſſe exiſtimabitur, ſi non ſoli iubenti,
niſi manumiſſus interim ſibi adierit: tunc enim
eas partes hæreditatis ſibi quærit, quæ alÿs do-
minis quæſitæ etiam fuiſſent: ut. ff. de acquiren.
hære. l. ſeruus duorum. &. l. ſi ſeruus. Hæredita-
tis autem partes ab uncia uſq; ad eſſem, ut ſolen
nis diſtributio fiat, hæ ſunt: ſextans, quadrans,
triens, quincunx, ſemis, ſeptunx, bes, dodrans,
dextans, deunx: hæ, & harum partium quædam
ſumũt nomen à toto, ut ſextans, quadrans, triẽs,
ſemis, bes, dodrans: cæteræ ſumunt nomen à par
tibus. Amplius in quot uncias uoluerit teſtator
hæreditatem diuidere poterit: ergo & in. xxiiÿ.
ſi uelit aſſem geminare, id eſt, dupondium con-
ſtituere, ſed & triplicare, ut ſit tripondium, & de
inceps. Sed & in duos ſemiſſes poterit diuidere,
ſed ex ſemiſſe poterit diuidere, ſed ex ſemiſſe
unus tantum hæres inſtitutus, ſi non ex una
re, totum aſſem habebit: quippe quòd in ſe-
miſſe totus as continetur. Neq; enim idem ex
parte teſtatus, & pro parte inteſtatus decedere
poteſt, ſcilicet ab initio regulariter, ſed ex poſtfa
cto: ecce enim fratris mei inſtitutionem in homi
ne honeſto non infringam, collatam in turpem
perſonam, ſubuertam. Sed & ſi teſtamentum pa
tris principale, id eſt, inſtitutio reſcinditur, quã-
doq; pupillare quod eſt ſequela, perſeuerabit: ut
ff. de inoff. teſt. l. Papinianus. &. l. qui repudian-
tis. Sed ab initio, ſi uelit, pro parte teſtatus inte-
ſtatusq; decedit. Sed & teſtamentum patris, nõ
obſeruato officio pietatis, quo ad inſtitutionẽ
non ualet: quoad cętera ualet. Si plures inſtituã
tur diſpariter, etiam partes diſpares habebunt,
niſi inæquales ante teſtamenti conſummatio-

nem fecerit. Quid ergo, si nominatis partibus tertium sine parte, plures'ue, postea testator instituerit: si quid superfuerit, ille uel illi uocabuntur ad illud: si nihil, in tantundem in quantum priores sunt instituti: hoc ita, nisi testator dixerit in reliquum. Nam si nihil sit reliquum, uocabuntur in nihilum, & hoc continetur in asse primo expleto, cum non sit ultra processum, institutus sine parte ipse solus non habebit tantũ quãtum duo, puta priores instituti usq; ad finem dupondij, sed tres triẽtes ferẽt, id est, partes æquas: & sic quo ad hoc aliud erit in asse secũdo, quàm in primo. Si uero quis plures ex partibus diuersis, uel nõ, instituit: & iam ultra dupondium unciam uel uncias accepit institutus, institutus sine parte id solum habebit quod supererit à tripondio complendum, & in hoc idem erit in asse secundo quod in primo. Sicut enim ubi testator expleuerit assem, & postea instituit, intelligitur facere dupondium, ita expleto dupondio præsumitur inducere tripondium, & ita deinceps. Miles quidem ad tempus instituere potest, paganus minime. Qui ergo ad tempus instituitur sublato temporis initio, & pure & perpetuò erit hæres institutus. Idem si fuerit institutus sub conditione, reprobata natura à iure uel more. Reprobata enim conditio in faciẽdo, licet secus sit in cõtractibus relictis apposita, relicta non uitiat: ut in Codicis summa plene exposui, in tit. de his quæ pœnæ nom. Item ex certo tempore hæres non instituitur, licet mirabile uideatur: quoniam sub dilatione conditionis institui tur. ergo sub cõditione institutio fieri potest & potestatiua & non, ut casuali & mixta: uerum si ius in potestatiua institui nõ debet: ergo & sub conditione uoluntatis expressæ, ita tamen si uoluntas expressa in eum qui instituitur; confera-

tur,in tertium collata,non ualet:quia institutio captatoria foret. ut si dicatur: esto hæres, si Titius uoluerit.Si uero in tertiũ fuerit collata uoluntas,ut si dicatur:Si Titius capitolium ascenderit:institutio ualebit contra eum in contractibus.Si quid restat ex Codicis summa,quam uulgaui,studiosus aduertet.

DE VVLGARI SVBSTITVTIONE.
TITV. IX.

EXplicauimus de institutionibus(ut ita dixerimus)primis:nunc audiamus de secundis, id est de substitutionibus. Et quia uulgaris latius patet:fit enim omnibus hominibus & fit negatiue, cõstatq́, quia prius negatio fuit quàm affirmatio,per quam fit pupillaris substitutio, audiamus primũ de uulgari. Vulgariter interdũ plures pluribus substituũtur, hoc est si illi non fuerint hæredes,isti alij sint hæredes:interdũ uni plures,interdũ unus uni,interdũ unus pluribus.Illũ paragraphum,Si seruum alienum &c.interpretandum duxi.Et quidem si quis seruum alienũ,puta Titium,& dominus liberũ uel patremfamil.instituerit, & uulgariter substituẽdo addiderit:Si Titius hæres nõ erit,Meuius sit hæres:etiã Titio adeũte dominus suus Meuius substitutus ex æquitate admittitur in partem,id est in quadrantem: nẽpe uideri posset quòd substitutus admitteretur in nihilũ : quod institutus adijt,uideri posset quòd institutus admittatur in solidũ.seruus liber creditus,de quo solo testator cogitauit,licet adijt sua aditiõe dominũ, nõ se fecit hæredem.Nec obstat uerborũ interpretatio,quæ fit in homine libero:quæ est si sibi hæreditatẽ nõ quęsierit,uel ei cuius iuri subiectus sit. In seruo autem est illa interpretatio, si sibi non quæsierit,quod esse potest,si interim liber fie

ret,uel alij in cuius dominium postea transierit. Quippe uerborum prædictorum interpretatio, duobus in casibus locum habet, id est,si in persona hominis non errauerit:hoc est, si putauerit liberum qui liber erat,uel seruũ qui seruus erat. Idem si errauerit: si expressim uerba iuri determinanda reliquit.Porrò in tertio casu,id est si errauerit,& simpliciter uerba profudit: ius uerba non interpretatur,sed uoluntatem domini: hoc est,ut substitutus non in nihilũ admittatur,licet institutus seruus adijt:nec insolidum,etsi fiat hęres,sed alius,de quo non est cogitatũ, id est eius dominus: sed admittatur in quadrantem, id est in modicum.non placet illa sentẽtia, ut serui dominus admittatur in quadrantem non in dodrãtem, quasi æqua intuita: quia & modicum habeat,quoniam de eo testator non cogitauerat, & Meuius substitutus,de quo testator mentionem habuit, admittatur in dodrantem: imò dominus instituti serui habebit dodrantem,substitutus quadrantem. Atqui in quatuor casibus si testator uerba determinauerit, nec uerborũ nec uoluntatis locus postea erit interpretationi,sed ita fiet de hæreditate sicut testator dixerit. ergo interpretatio alia uerborum, & per consequentiam uoluntatis:puta,ubi testator non errauerit uel si errauit,uerba ad ius retulit:aliàs uoluntatis tantum fit,si errauit, neq; determinauit, neq; uerba iuri determinanda expressim relinquit. Ex his colligere licet,quia quod legitur in C.de hæred.inst.l.cum proponas.non est his contrarium. In Codice enim Imperator loquitur, ubi equidem in testamento testator errauit, sed uoluntas certa fuit, aut quia uerba determinauit, aut quia ad ius retulit:& ideo in Codice substitutus uocatur,uel in solidum uel in nihilũ: hoc autem est & in.ff.Et errauit testator & uoluntas

ſncerta fuit,ſicꝙ cum ignoramus quid teſtator uoluerit uel noluerit:quoniam non determimi= nauit,nec ad ius retulit, ſubſtitutus uocatur in modicum. In dubijs enim & in re habente ſe ad utrunlibet non incompetenter media eligitur ſententia,hoc eſt ut ſubſtitutus non in ſolidum, neqꝫ in nihilum,ſed admittatur in modicũ: nem pe teſtator,quia credebat ſeruum alienũ, quem inſtituebat, liberum, potuit uelle ut inſtitutus uocaretur in ſolidum:potuit quoqꝫ uelle, ut, & ſi ſeruus inueniretur, domino caperet, ſicꝙ ſub= ſtitutus admitteretur in nihilũ. In hoc ergo du= bio,in hoc ancipiti, rigor placatus eſt, tẽperies facta eſt,ut ſi ſeruus eſt inſtitutus, qui liber eſſe creditur,ſibi ſubſtitutus admitatur in modicũ cum ueritate uincente opinionem:ſi ſeruus inſti tutus,qui licet non ſe,dominum tamen fecit hæ redem ſuum.Habent locum ubi teſtator non er= rauerit,& eius uoluntas incerta fuit. Atqui ubi teſtator non errauit.aut ſi errauit,eius uoluntas certa fuit,qui uerba determinauit,uel iuri deter minanda reliquit : interpretatoribus habenti= bus,quæ hic & in.ff.inueniuntur,ſubſtitutus ne ceſſariò uocabitur in ſolidum uel in nihilum. Item duæ ſunt uoluntates: aut enim per inſtitu= tum ſeruum creditum liberum uoluit alij poſſe acquiri,aut ſibi ſoli.Item in Codice uocationes duæ ſunt:in ſolidum,& in nihilum:hic eſt etiam tertia, in modicum. Item tres ſunt diuerſitates uerborum:quippe aut determinantur uerba,aut referũtur ad ius,aut ſimplicia uerba teſtator ef= fudit. prædictum contrarium poſſumus quoqꝫ ſuccinctius determinare.Hic & in.ff.uerba iuris ambigue ponuntur,quæ ſunt: Si hæres non erit. admittunt enim modo hanc, modo illam inter= pretationem.Sed in Codice uerba facti ponun= tur, quæ non ſunt ambigua:id eſt,ſi Vitalis non

adierit, Vitalis hæres esto: aut em̃ Vitalis adijt, aut non. Si adijt Vitalis, in nihilum: si non adijt Vitalis, substitutus uocabitur in solidum. Diuisionem per præfatam, id est ut dominus instituti serui conditione liberi habeat dodrantem. Hoc in ff. Tiberius forte, qui binomius fuit, primitus fecit, cum partem unus seruus suus, tanquam liber fuisset, uel esset institutus & alius ei substitutus, de hæreditate duos fecit semisses: unum, quē sibi liberum retinuit: & alium inter se & substitutum æqualiter diuisit: ut. ff. eo. &. ff. de hæred. instit. l. qui soluendo.

DE PVPILLARI SVBSTITVTIONE. TITV. X.

NVnc de pupillari substitutione dicamus: pupillaris improprie dicitur, id est puerilis. Pupillus em̃ proprie est qui patre caret: uel si habet, in potestate est. Est autem pupillaris, alia simplex, alia duplex. Duplex, id est quæ cōtinet uulgarem, id est negationem & adfirmationē. ut ista: Si ille hæres non erit, ille hæres esto. Simplex est quæ solum cōtinet affirmationem, ut ista: Si hæres fuerit, & intra pupillares annos decesserit, ille sit hæres. In hac autem duo sūt testamēta, ꝑpter duas hæreditates, licet quandoq; eādem prorsus sint bona: & unum est testamentum propter una solennia. Nūc autem ualebit testamentum, si à patre factum filio: si testamentum patris, id est principale quod fit per institutionem, ualet: hoc inquam ab initio. nam & resciisso patris testamento, pupillare perseuerat: ut. ff. de inoff. test. l. Papinianus. Item licet institutio propter personam nō capacis instituti, non ualeat, substitutus tamē pupillariter capit. ergo uerbum prædictum intelligatur, si institutio forte fideicommissi ratione defecerit, substi-

vide. §. igitur in pupillari. eo. [illegible] quandoq; propter §. nō solum [illegible] eo. t.

tutio nulla erit. Vnde non sequitur, si institutio inter filios, puta testis ualuerit, non tamen substitutio pupillaris, per quam extraneus impubeberi pupillariter substitutus ualebit. Hãc pupillarem pater naturalis, idemq; legitimus facit filio impuberi etiam exhæredato. Sed & arrogator in quarta etiam duntaxat usq; ad pubertatẽ, & non per fideicõmissum, potest, licet pater naturalis id possit: ut. ff. de adopt. l. sed si. Cætera, quæ desunt de substitutionibus, de uulgari, de expressa, de tacita, de pupillari, de compendiosa, de exemplari, & quando cõmittatur, in summa Codicis quam promulgaui, plenissime diligens lector poterit inuenire. suma Codicis Placentini

QVIBVS MODIS TESTAMENTA INFIRMENTVR.

TITV.º XI.

Exposuimus quemadmodũ testamenta cõfirmantur: nunc qualiter infirmãtur, uel aliter. Diximus qualiter testamentũ aliàs nõ iure fiat, aliàs iure: nũc uideamus, qualiter ea iure facta infringãtur. Infirmantur testamẽta quatuor modis. Ecce enim aliàs rumpuntur, aliàs irritantur, aliàs subuertuntur, & expugnãtur. Rũpuntur, & facto & dicto. Facto, ut si testator adoptauerit, uel sponte testamentum inciderit. Dicto, non simplici, sed si testator factum testamentum nolle ualere coram tribus testibus, uel iteratò dixerit, & decennium emẽsum sit: sed hoc inter non liberos, sed inter filios ita rumpuntur testamenta. Facto, si illud se nolle ualere pater dixerit, & aliud perfectum fecerit. nam perfectum non rumpitur per imperfectum, nisi militare sit ultimum: uel, nisi in ultimo sint scripti hæredes filij, cum in primo fuerint instituti extranei. Imperfectum quidem testamẽtum retentionem

parit,sed non rumpit:nec petitionē inducit,nisi, ut superius dictū est,ad hæredis fidē decurratur, uel nisi hæredi relictum esse fateatur, uel nisi ex inutili uoluntate,ad minus per triennium præstetur: aliàs ex inutili uoluntate nec ipsi petet. Sanè testamentū militis,rustici patris apud Cęsarem testantis,licet non solenniter,non imperfectum, sed perfectum censeo. Irritantur testamenta, quando non miles paterfamiliàs capitis diminutionem incurrit qualenqualem : nisi id fiat per captiuitatem: ut suprà quib.non est permis.fac.test. Vltra subuertuntur testamenta per bonorum possessionem cōtra tabul.Et si testantis memoria sit damnata,expugnantur per querelam inoff.test.

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO. TITV. XXII.

VIdeamus unde dicatur inofficiosum testamentum,quot modis querela intendatur, quibus competit querela, infra quod tempus,& ex quibus causis cōpetit, aut cessat: quis sit effectus querelæ, quæ specialia sint in querela,& quid hodie obtineat, & qualiter querela sit sublata uel duret.Inofficiosum, dicitur contra officium pietatis. Testamētum duobus modis dicitur inofficiosum: ex ordine,re & cōsilio: re & non consilio,ut in matre: ut.ff.eo.l. si instituta.Item mouetur querela:aliàs principaliter, ut contra scriptum hæredem possidentem: aliàs in modum exceptionis,siue pręiudicialis actionis.Competit filijs querela iniuste exhæredatis à patre, sed à matre etiam præteritis. Sed à patre præteritis bonorum possessio contra tabul. parentibusq́ similiter contra filiorum testamentum,sicut filijs,siue sint filij,siue emancipati,legitimi tamen in potestatē redacti. Spurij quoq́,

quo ad matrem, nisi fuerint sponte arenarij, nisi forte talis fuerit & pater eorum: ut. C. eod. l. in arenam. sicut enim hæreditas parentum ex uoto & naturali charitate, & directo ordine debetur filijs, sic turbato mortalitatis ordine filiorum, parentibus: ut. ff. eod. l. nam. &. ff. de bono. possess. l. Paulus. Collateralibus non datur, fratribus consanguineis, turpibus hæredibus scriptis: nisi illi turpes præscripti hæredes fuerint filij, uel parentes uel serui necessarij hæredes: ut C. eod. l. fratris. Datur contra scriptos hæredes: licet enim titulo uideantur possidere, ab initio tamen, uel ex postfacto censebitur nullius. Quippe se hæredes putant, & non sunt: nempe ex sententia fit ius, filiusque petitor probato testamento inofficioso, probatur dominus, & inofficiose scriptus hæres, non dominus. In genere una est materia querelæ, utique exclusio: duæ causæ in specie, exhæredatio & præteritio. Ex quatuor causis cessat. Si is, cui competit querela, quinquennio tacuit. Si renunciauit. Si testamentum confirmauit. Si datum est ei quod sufficit. Probato testamento inofficioso quicquid fuerit in eo relictum erit inualidum: uerum hodie institutio sola cassatur. Duo specialia in querela, quia est odiosa, nisi fuerit contestata uel comminata, non transit ad hæredem, nisi suum. Sed & contestata remissaque ad hæredem remittentis non intenditur, licet à remittente, si pacto non pareatur, per replicationem adiuta intenditur: ut ff. eod. l. si instituta. Olim testamentum rumpebatur per querelam, & adhuc hodie secundum quosdam, sed ego non puto: nam si exhæredatio sit iusta, seruatur: sin iniustum, ruptum uel irritum est. ergo non irritandum: maxime si exhæredatus id alleget, etiam simpliciter, non querelam proponēdo. Ergo, ut puto, hodie sublatum

esse dicūt, olim oportuerat filium habere quartam integram ut queri non possit: tempore medio, & iuris remedio sufficiebat habere modicum quoquo relicti titulo: iure nouissimo oportet haberi uel modicum iure hæreditario. Item quarta erat olim, hodie triens est, si fuerint quatuor uel pauciores: semis, si fuerint plures. Item olim filius probare debebat se non fuisse ingratum; hodie scriptus hæres probare fuisse gratū. ita tamen, si à testatore nominatim causa fuerit inserta: alioquin scriptus hæres ingratitudinem arguere frustra tentabit.

DE HAEREDVM QVALITATE ET DIFFERENTIA.

TITV. XIII.

HAeredum alij sunt necessarij tantum, ut serui proprij à domino instituti: alij sunt sui & necessarij, ut filij qui sunt in potestate parentis mortis eius tempore, uel postliminij ęquitate. Illud notandum est, quòd seruus à domino institutus, post eius mortem à seipso libertatem accipit: ut. ff. de statulib. & ff. de acquir. hæred. & de condit. instit. Item notandum est, quòd seruus proprius ipso iure, sicut ꝓprius filius suus, aditione fit hæres, ubi testator dixerit: Seruus meus hæres esto si uoluerit. Sed si dixerit: Esto hęres seruus meus: si liber fuerit, nihil agitur. Sed de seruo alieno si testator dixerit: Esto hæres & liber: etiam si seruus ille postea testatoris efficiatur, nihil ualebit: ut. ff. de hære. insti. l. si alienum. In summa illud notandum est, quia is quòd mutus & surdus est, etiam per naturam, si tamen intelligit, adire poterit, & adeundo sibi hæreditatem adquirit. Pupillus tamen etiam non intelligens cum tutoris autori

tate, & impubes in poteſtate patris conſtitutus, patris autoritate etiam non intelligens, adeundo hæreditatem ſibi ualebit adquirere, licet uideatur mirabile: ut.ff.de acquirend. hæredit. l.vij. &.l.viij. Cætera quæ deſunt ex Codicis ſumma, quam compoſui, colligere licet. Illud prætereundum non puto, quòd nepos in poteſtate aui conſtitutus & ab eodem cum patre ſuo inſtitutus, nullo prædictorum membrorũ membro clauditur, & eſt hęres anomalus. Item illud notandum eſt, niſi quis ſub conditione inſtituitur, ut ita: Hæres eſto cum capere poteris tria tempora, expectare nõ expedit. Cætera quæ deſunt ex Codicis ſumma quã feci, colligere licet.

DE LEGATIS.

TIT. XIIII.

IN hoc titulo de legatis expedit illum paragraphum interpretari, Si cui fundus alienus &c. Fundi ſibi legati Meuius emit uſumfructum, & poſtea nullo dato, uſusfructus ad Meuium remeauit: ait Iulianus, Meuium poſſe petere fundum, non tamen habet fundum: utiq; & non petit, & dominium habet, etiam is qui fundum à ſe emptum & ſibi traditum accepit, cum nondum de euictione ſit cautum, & adhuc petit eum: ut.ff.de uerbor. obligat. l. Iulianus. Sicut enim non uidetur datum cum ſit euictum, ita & ſi non fuerit cautum. In prædicto tamen caſu petens fundum non extorquebit fundum, nec fundi pretium, quaſi ex lucratiua cauſa recipit uſumfructum, ſed conſequitur nudæ proprietatis pretium: hoc enim ſibi duntaxat abeſt. Petet ergo fundum, non tamen habebit fundum, nec totum, nec eius partem, nec uſumfructum; habet enim hæc omnia, ſed conſequitur

officio iudicis, nudæ proprietatis pretium, per solertiam suam separantis. Nec obstabit quia ususfructus iste non est ususfructus separatus, nec est seruitus: si enim sit tanquam separatus, tanquam seruitus censebitur, & seorsum æstimabitur. Et hoc est quod dicitur, Si debitor creditori suo legauerit, quod ei debet in diem: uel sub conditione, legatũ utile fore, licet ad id peruenit à quo incipere non potest. Illud ius uetus, uel inutile est considerato principio: uel quod melius est, id est, nullam utilitatem adferens: ut, in, accipiatur nõ priuanter, sed neganter. Sed est utile, id est ualet & actionem parit. nam & is qui promisit, non amplius quàm semel tenetur, quantum ad utilitatem stipulationis: sed tamen uerũ est, quia sicut ex primo, sic & actio nascitur ex stipulatione secũda. Amplius & illud exponamus quod dicitur: Si seruus cum peculio legatus fuerit, mortuo seruo peculij legatum extingui, maxime si obierit seruus ante testatorẽ. Quod autem prædictum est, uerum est, etiam si in peculio non erant nisi serui uicarij: licet, si testator dixerit, Ordinariũ lego cum uicarijs: etiã ordinario mortuo, quia duo sunt legata, uicarij debentur: quoniam expressa nocent. Sed & si testator quancunq; partem suæ hæreditatis hæredi reliquerit, iure ille conuenitur. Idem si fundus fuerit legatus instructus, uel cum instrumẽto: nam in his duobus casibus fundo alienato, etiam instrumenti legatum extinguitur. Porrò in tertio casu, id est si dixerit, Fundum & instrumentum lego: fundo alienato etiam instrumentum debetur. ergo dicet aliàs sic: in hoc casu copula, cum, plus poterit quàm coniunctio, &: sed in. ff. de fun. instr. lega. l. j. & l. v. legitur nihil interesse, siue quis leget, fundũ cum instrumento, siue fundum instructũ. Dicamus ergo quia per

hoc corrigitur quod in.ff.legit,uel singula referamus seriatim ad superiora paragrapha, & dicamus.Idem est si fundus instructus fuerit legatus:quod esset si seruus ordinarius legetur cum uicarijs.Idem si legetur fundus cum instrumento,sed per, cum, non per, &, ubi legatur seruus cum peculio:nam in primis exemplis re principali etiam extincta uel alienata, etiam uicarij debebuntur & instrumēta.Quia,sicut diximus, duo sunt legata, in his exemplis primis rebus alienatis,id est seruo & fundo:nec peculium debetur,nec instrumentum,quia unum est legatū: uel aliter, nihil interest siue legetur fundus instructus, siue cum instrumento, scilicet quo ad habitionem: sanè aliud est quo ad distinctionē: non in primo casu,hoc est ubi fundus instructus est,legatur.& hoc est quod subditur. Nam cum fundo alienato etiam instrumenti legatū extinguitur, ita tamen si fundus cum instrumento legetur,ut dictum est,per cum,nō per &.Amplius an seruo unius hæredis recte legetur, quæritur? utique sub conditione, purè minime: hocq; legatum, licet testator diutius uixerit, non conualescet,etiā si seruus de potestate hæredis exierit. Cū enim ab initio sit prorsus inutile,postea non fit ualidum propter confusionem, quia idē est quod debet cuique. Sanè legatum aliàs inutile,non propter confusionem,puta à seruo relictum, liber factus habuit ratum usque ad obitum,fit ualidum: ut. ff.de legat.iij.l.prima. Sed sub conditione seruo hæredis recte legatur:quia pendet legatum,& hoc testator uoluit:sed prædictum purum,nec ualet,nec pendet, quia id testator noluit.Ex diuerso hærede instituto seruo, domino eius non sub conditionee,sed purè recte legatur:& hoc ideo,ut puto, quia sicut serui institutio expressam conditionem expectat, sic

etiam cū eius domino pure legat, expectat tantum, ergo hic purum pēdet, licet uideatur quòd pendere non debeat, præfata ratione, quæ est: Quòd si seruus statim decederet non ualeret: etiam hic est, sequitur: non tamen dies huius legati puri apud dominum cedit, quod per seruū adeuntem factus hæres: quia ut cedat, oportet ut hæreditas à legato sit separata, hoc est ut alius sit hæres, alius sit legatarius. Vel dicit uerè, recte legatur, cum, id est quando hæreditas sit separata sui natura, id est sit separabilis. ergo si rationabiliter sit separata, id est si alius factus hæres sit, puta seruus institutus manumissus, uel in alterius dominium translatus, legatum istud, primo pendulum recipit effectum. Si uero hæreditas non sit separata à legato, id est si dominus instituti serui factus sit hæres, quod idem sit legatarius, ratione confusionis intercidit legatum: quia idem sibijpsi legatum præstare non potest. Istud ultimum purum secernatur à primo puro, quia primum purum relinquitur ei qui sibi capere potest, id est libero homini.

In summa notandum est, quòd regula Catoniana infringit relicta pure uel in diem certum, ei scilicet personæ quæ capere non posset, si statim testator decederet. Sanè non pertinet ad relicta in diem certum uel sub conditione expressa. Item relictum differtur per tacitæ conditionis euentum, ut si relinquatur seruo manumisso in testamento, uel seruo legato alij seruo testamento manumisso: hæc enim omnia relicta, id est quæ sunt relicta sub conditione expressa, tacita ue, uel in diem certum, non uitiat regula Catoniana: horum enim relictorum dies non cedit à morte, sed nec ab additione. Item regula Catoniana ad nouas leges pertinet, ut Theodosij, Iustiniani. Hanc legem ita intelli-

go: puta, si quis instituerit filium suum spurium, inerit tacita conditio, & pendebit institutio: quippe si eum postea fecerit legitimum curiæ dando, uel cum matre matrimonium contrahẽdo, spurij institutio sortietur effectum. Illud notandum puto, quòd lana legata, uel materia, nec uestimentum post confectum debebitur, nec nauigium: ut. ff. de legat. iij. l. lana. Sed quæ sit ratio, lectoribus studiosis ut illam explorent, remitto. Idem quæritur ubi duo sunt Titij, & legatus est Titius, ualet legatum: quoniam hæres eligere & electum debet præstare: sed eo modo libertas relicta uel institutio, puta, duo erant Appollonij, uel tutelæ datio non tenet omnino, ubi duo sunt Titij. Quippe in libertate consequenda tutela'ue altera alteram impedit. Sed si duo sunt Stichi, & amborum dominus dixerit, Stichum do, lego: ualebit legatum & pręstabitur, & sortiet̃ effectum, electione hæredi danda, ut dictum est. Huius uarietatis quæ sit ratio forrassis non est multum in expedito. Cætera de legatis in summa Codicis, quam promulgaui, solicitus lector inquirat.

DE ADEMPTIONE ET COMMVTATIONE LEGATORVM.

TITV. XV.

DIximus de legatorũ donatione: nunc audiamus de ipsorum ademptione. Adimi potest ei soli cui relinquitur: ergo legatum seruo, adimendum non est domino, sed seruo: ut. ff. eod. l. legatum. Ademptio alia est simplex: alia est translatio simplex, alia in totum, alia in partem adimit, uel extenuat: ut si quis hominem legauerit, & Titiũ ademerit. Translatio fit quatuor modis: ut si relinquatur purè,

adimitur ſub conditione. Si res prolongetur iterum ab hærede in hæredem. Item à legatario in legatarium: puta, ſi dicatur: quod Titio legaui, Seio do, lego. quo caſu uni adimit, & alteri conceditur, ubi teſtator habuit animum coniungendi eos. Adimitur legatum uerbis & factis. Verbis aliàs contrarijs, aliàs non contrarijs: ut ſi dicatur, quod illi legaui, non lego. non contrarijs: ut ſi dicatur, quod illi legaui, alij lego. Facto teſtatoris legatum adimitur: ut ſi teſtator legatū cancellauerit. Facto quoq; legatarij, puta ſi legatarius teſtatori adhuc uiuenti, factus ſit inimicus, uerū ſi poſtea fuerit reconciliatus legatū reſtauratur: ambulatoria eſt enim uoluntas teſtatoris uſque ad ſupremum uitæ exitum: ut. ff. eo. l. quod ſi. Actio quoque in rem, & hypothecaria dicitur ambulatoria, legum quoque poteſtas eſt ambulatoria: ut. ff. de fund. inſtru. l. quod ſi. Quid ergo dicemus de hoc quod dicitur. ff. de reg. iur. ubi dicitur quòd repugnantia continet teſtamentum, neutrum fore ratum: ſic intelligatur ut expoſui in additionibus ſiue exceptionibus regularum.

DE LEGE FALCIDIA. TITV. XVI.

QVia relicta per falcidiam minuuntur, de falcidia loquamur. De falcidia illud generaliter ſciendum eſt, quia hic intelligitur falcidia, ſiue legitimæ partis quarta, ut in hoc titulo, & ſuprà de inoffic. teſta. Hæc autem quarta competit tantum iure hæreditario, ſiue ex teſtamēto. Vbi petitur autem filio duntaxat quarta eſt, & nō eſt mutata. In filijs eſt adaucta in trientem uel in ſemiſſem pro numero liberorum: in fratribus autem nulla eſt, aut nō eſt mutata quarta, aut fortè pro numero fratrum triens dicatur

dicatur semis'ue. In parentis quoq; quarta, aut nõ erit mutata, aut causa nõ possit esse. nisi duo in eodem gradu, id est parens masculus, uel parẽs fœmina. ergo si pauciores quàm quatuor, in trientem tãtum dicatur mutata. Amplius illud notandum puto quod dicitur:nunquam legatarium habere legis beneficium.intelligo de rigore uel iure:habebit autem alterius iure ex æquitate,puta ubi legatum ei præstitum sit imminutum,& ipse diminuit, si alij fuerit iussus illud dependere,& hoc ait Vindius noster:ut.ff.eo.l.poenales.§.si Titio.Illud notandum est, quia quæri potest:Si multis rebus relictis hæres in singulis uelit deducere, & legatarius uelit in singulis dare falcidiam,cuius debeat desiderium præferri:ego quæstionem alij inuestigãdam relinquo. Illud sciendum est,qua ratione sit statutũ,quòd hæres iussus dare legata, uel fideicommissa singularia habens,quartam illam non defalcabit, licet iussus restituere hæreditatem, uel eius partem,nisi coactus adhuc habeat uel non habeat, quartã ualeat defalcare. Cætera quæ desunt ex Codicis summa accipere fas est.

DE FIDEICOMMISSARIIS HAEREDITATIBVS.

TITV. XVII.

HAEres hæreditatem restituere iussus, etiã post restitutionem,hæres permanet, & is qui restituit,fideicõmissarius heres appellatur:aliquando erit loco heredis per Trebellianum, aliquando legatarij per Pegasianum: sed hodie,si quid erat utile in Pegasiano,est translatum in Trebellianum: quippe ex Pegasiano retẽtio quartæ,quæ nõ erat in Trebelliano,transfertur in Trebellianũ. Item per Trebellianũ nõ cogebatur adire, & hodie cogitur, & hoc acci

pit à Pegaſiano. Item per Trebellianum locum non habebit niſi in uniuerſitate, ſed hodie in ſingulis locum habet, & accipit à Pegaſiano: ſanè per Pegaſianum actiones nõ tranſibant, imò ſtipulationes fiebant partis & pro parte inter hæredem & fideicommiſſarium, ſed per Trebellianum tranſibant & tranſeunt. In ſumma illud notandum eſt: quia cum fideicommiſſarius petit fideicommiſſum generale uel ſpeciale, & id non poſſit, cum abnegetur, teſtibus comprobare, ſi à ſe ſacramento de calumnia præſtito, iuſiurandũ detulerit hæredi, neceſſe habet hęres ſoluere, uel iurare, ſe nihil tale audiſſe à teſtatore. Habet autem hæc ſacramenti delatio locum, ibi tantum, ubi is, cui defertur iuſiurãdum, adfuerit cum fieret: nec refertur, licet à parte parti iudicio deferatur: nec retractatur, quia de damno certatur, licet legatarij iuſiurandum refricatur, quia de lucro contenditur: ut. C. ſi cer pet. l. ult. Quid ergo ſi hæres relictum fateatur, ſed ſolennitatem inficiatur? præſtare compellitur, etiã ſi iurare ſe dixerit paratũ eſſe: ſecus, ſi quis confeſſus fuerit ex nudo pacto tantũ teneri: tũc enim ad iuris ſolẽnitatem decurrere poterit. Idẽ ſi quis fateatur in teſtamento alicui fuiſſe hæreditatẽ relictam, poterit alienare, ſed non ſolenniter audietur: & ſi probauerit, nõ artabitur: ut. C. de iur. & fact. ig. l. iiij. Idem hodie circa præfatum iuſiurandum exiſtimo in legato, quod dicitur de fideicommiſſo: licet olim à fideicommiſſario tantum, non à legatario legabatur. Non autẽ poteſt quis rogari ut plus præſtet in quantitate, ſi quantitatem accepit, niſi quantitas uſurarũ cum nullo cernitur, ut ſi non accepit, actionẽ tamen cedet. Item ſi quantitatem acceperit, rem alienam adire rogatus dabit: ſi minoris duntaxat tanti'ue pretij. Item ſi quantitatem accepit, rem propriam eti-

maioris pretij dabit: ut.ff. de leg.ij.l.Imperator. Si rem accepit,fortè rogari poterit ut det rē etiā ſuam,alienam minoris maioris'ue pretij.

DE SINGVLIS REBVS PER FIDEICOMMISSVM RELICTIS.

TITV. XVIII.

IN hoc titulo notandum exiſtimo Papinianū reprehēdi. Dixit enim relictum, in codicillis ante teſtamentum factis,fore inualidum: niſi poſtea ſpecialiter in teſtamento fuerit confirmatum:ſed hodie ualebit,ſi non ſpecialiter fuerit reprobatum.Illud item ſciendum eſt, legati dationem,uel adoptionem factam ab eo ei'ue in codicillo,qui iam obierat,poſt confectum ante codicillum compoſitum nō tenere:prius enim debet inquiri perſona,à qua,uel cui,& poſtea iuris ratio eſt inquirere cauſam:id eſt,an relictū ualeat, aut ademptio teneat,aut nō: ut.ff.eo.l. quidam. Cætera quæ deſunt in hoc titulo, & in duobus ſuperioribus ex Codicis ſumma,quam promulgaui,colligi poterunt.

Tituli ſubſequentes in ſcripto exemplari per incuriā deſcribentis,in quarti libri calce ſiti fuerunt. Quamobrē nunc inter huius ſecundi libri titulos ſuo ſunt ordine reponendi.

QVIBVS ALIENARE LICET VEL NON.

ITem illud notandū eſt, quòd pupillus cui ſolutum eſt, locupletior intelligitur tribus modis,puta ſi ſibi,id quod ſolutū eſt, adhuc habet:aliàs de æquitate. Idē ſi ex pecunia pupillo ſoluta emptū eſt.Idē,ſi id quod neceſſario, puta à domino regionis communiter indicto prælio

cõparatum iumentũ etiam si naturaliter perierit. hoc enim in casu eo ipso intelligitur locupletior, quia nõ est factus pauperior: ut. ff. de solu. l. in pupillo. Item illud notandum, quòd soluens pupillo, quandoq; liberatur ipso iure, ut pupillo adiecto: ut. ff. de sol. l. qui decem. aliàs ipso iure sed per exceptionem, ut si pecuniam sibi solutam habeat saluam, quam utiq; creditur habere saluam, etiam si rem ex illa emptam aliquando, ut dictum est, perdiderit. Cætera quæ desunt ad hunc titulum pertinentia, & ad duos superiores, ex Codicis summa quam promulgaui, colligere licebit plenissimè.

PER QVAS PERSONAS NOBIS ACQVIRITVR.

EXposuimus quibus modis dominia rerum acquirantur: nũc audiamus per quos acquiris tibi per te, si uolueris, & cum potueris, per alium quoq;, ut per seruũ, liberumq;. Per seruum proprium, ad omnem causam, uel nisi in eo quod sibi indistinctè traditur, malignetur: ut. ff. de acquiren. pos. l. j. §. item. & nisi ab alio bona fide possideatur, uel nisi nomine ususfructus ab alio obtineatur, nisi iniustè quid adipiscatur. hoc ita si quid seruo tradatur. Idẽ si sibi, uel impersonaliter, uel domino, uel conseruo stipulatur, nisi factum suę personę cohęrens stipuletur: ut infra de stipulatione seruorum. Per communem quoq; seruum, dominus pro parte dominica quærit: nisi unum nominauerit, etiamsi alter iusserit: nisi ex re iubentis alij nominatim stipulatus sit. Sed & si unus iussit, ei soli quæritur, cũ nullum alium ex re tamen iubentis nominauerit. Item per seruum alienũ bona fide possessum, ex re & opera acquirit: ergo omne aliud, ut donatum, legatum, quæritur domino. Item per ser-

uum fructuariũ similiter fructuario, omne aliud proprietario: ergo donatum, legatũ, hæreditas; sed hoc alias de rigore, & æquitate: si seruus fructuarius, indistinctè. Idem si proprietarij contẽplatione, de rigore tantum si fructuarij intuitu: tunc enim licet domino quæratur hæreditas, fructuario tamen restituenda est: ut. ff. de usufruct. l. sed &. per liberum hominem bona fide possessum ex re & opera similiter possessori quæritur. Quid ergo si liber homo bona fide possessus, fuerit hæres institutus? uidetur equidem quòd libero homini hæreditas quæratur; quia adijciendũ est in opera seruili: ut. ff. de acquiren. hære. l. aditio. Itẽ uidetur quòd bonæfidei possessori acquiratur, quia in aditione aliquatenus est operæ: ut ff. de acquirẽ. rerum domi. l. liber homo. Sed certe distinguitur liber homo bona fide possessus; instituatur simpliciter, uel possessoris intuitu: & quidem si simpliciter institutus adierit, ignarus nulli quærit. Idem si conscius & iussus, & si conscius, & non iussus, sed si sibi uelit quærere sibi quærit. Si intuitu possessoris ĩstitutus adijt; suę cõditiõis cõscius, & sibi uolẽs q̃rere, & spõte adijt, sibi quærit; sed per conditionẽ sine causa restituit, si ignarus nulli quærit si sibi quęrere uoluit. At si intuitu possessoris institutus iussus maxime adierit, possessori quærere uolens, illi quærit: & in hoc casu intelligo; quia in aditionẽ aliquatenus est operæ: ut. ff. de acqui. re. do. l. liber homo. in cæteris casibus nihil est operę. Sed & si liber homo in seruitutẽ petitus, possessoris intuitu fuerit institutus, licet nõ per possessorẽ, per iudicẽ tamen adire cõpellitur, nõ sibi, etiam libero pronunciato, sed post omne hæreditatis cõmodum, incõmodumq;, & tutelæ, & curæ, & negotiorum gestorum possessio acquiritur, & quandoq; per possessionẽ dominiũ. Hęc omnia

plenissime in summa nostra licebit aduertere.

DE TESTAMENTIS ORDINANDIS.

DE testamentis illud solum dicēdum arbitror, quòd antequam testamentum sit cō summatū licebit mutare, & quod obscurè dictum est declarare. Sanè post testamentum peractum, licebit quidem declarare, sed non mutare: nisi ex nouo testator omnia ordiatur. Excipitur, quod mirabilissimum uidetur, puta si testator plures instituit, & postea etiā peracto testamento, unum fortè ex hæredibus uoluntatem suam nō mereri dixerit: in alijs tamen institutio facta ualebit: ut. ff. de his quæ in testa. delen. l. ij. Item notandum est, quòd conditionē testium inspiciemus, nō eo tempore quo testator moritur, sed quo testamentum signatur: ut. ff. eo. l. ad testium causam. conditionem quoque, id est seruitutem uel libertatem, siue ueram, siue putatiuā. nam & uerè seruus communi opinione liber creditus, testamenti testis erit, ex principum liberalitate & testamentorum fauore. Porrò testis probatæ uitæ, tunc cum testamentum signatur, non reprobatæ, cū de testamento quæritur, & in causa producitur, meo iudicio, non admittitur. nec enim talem quem esse, est de hominis conditione: nempe talis homo conditus non est talis, sed postea suo uitio factus est talis.

DE MILITARI TESTAMENTO.

TRibus modis testatur miles. Constitutus domi iure communi, constitutus in militia, & in ualetudine bona, & extra necessitatem belli, etiam iure singulari, id est saltē duobus testibus: fortè etiam mulieribus conuocatis testari poterit. Sed & in bello lācea forte transfixus, sine ullo teste iure singularissimo testari

poterit: literis rutilantibus sanguine in puluere, uel in mucrone, uel in clypeo. Verum si postea uertatur in dubium, miles ita scripserit nec'ne, per duos testes etiam non accitos probari debebit. Illud tamen notandum, quòd si miles etiam Imperatorē instituerit, uel se instituisse iactauerit, poterit etiam mutare: ut. ff. eo. l. ult. & C. eo.

QVIBVS NON EST PERMISSVM FACERE TESTAMENTVM.

IN hoc titulo notandum puto, quòd nulla uoluntas ualet confecta ab eo, qui apud hostes est. Ergo nec testamentum uel codicillus ualebit, uel confirmabitur iure postliminij, etiam si postea redierit. hoc enim casu quod uerè iure statutum est, figmento iuris infringi non debet: nēpe testamentum facti est, & causa facti, sicut & possessio, non continetur postliminio. Idem ut reuersus domum existimetur retro possedisse, & sic usucepisse: uel existimetur domi testamentū composuisse. Sanè codicillus à deportato factus si postea deportatus restituatur, ualebit: sed non testamentum: ut. ff. de leg. Sed & si deportati filius testamentū fecerit, & maxime de suis bonis proprijs, illud ualebit, licet uideatur mirabilissimum: ut. C. de senten. pass. l. ult.

DE EXHAEREDATIONE LIBERORVM.

IN hoc titulo illud solū existimo dicendum, quod dicitur patrem inutiliter testari si filiū, filiam'ue, suum, suam'ue, emancipatū, emancipatā'ue, in adoptionē simplicē, præterquā auo datū, datā'ue, arrogatū, arrogatam'ue nominatim non instituerit uel exhæredauerit. Excipiatur pater miles, & mater, & omnis parens supra matrem: horum enim scientium præteritio pro

exhæredatione habetur. Quod ergo authen. adijcit, ex causa exhæreditatiōis &c. fortè dici pōt quod per ius Institutionū inutile fiebat, per querelam expugnando, & per contra tabulas subuertendo: sed per authen. ipso iure, inutile erit, si tamen exhæreditatus præteritus'ue, etiam sine adminiculo querelæ, uel contra tabulas bonorum possessionem auocare uoluerit: ut. ff. eo. Sed illa pars authen. ultima quæ est, in cæteris perficeret, uidetur superflua, quia iure uetusto etiam possessio secundum tabulas, utiliter etiam legata, petebantur: ut. ff. de iniust. test. l. filio. Cætera quæ desunt in hoc titulo, & in tribus superioribus, ex Codicis summa fas erit accipere.

DE HAEREDIBVS INSTITVENDIS.

INstituitur seruus, & homo liber, seruus proprius, & alienus: proprius etiā pro parte tantum, id est communis. Proprius etiam pignoratus, sed olim cum libertate tantum, hodie etiā sine libertate. Nam & si dixerit testator dominus, Titius seruus meus liber esto: & postea cū liber fuerit, hæres esto: detracto uerbo medio post testatoris mortē: & liber, uelit nolit, & hæres fiet: ut. ff. eo. l. quoties. §. si quis ita. Si uero purè dixerit: esto hæres & liber si rex uenerit, differtur institutio cōditione libertatis: ut. ff. eo. l. iij. Institutus autē à domino seruus, si manserit seruus eiusdē domini, fit ex testamento liber & hæres necessarius: hoc ita, nisi idētitas nominis obstet: ut. ff. eo. l. qui soluēdo. uel nisi institutus sub conditione occisi postea testatoris necē detexerit: tūc enim à iure manumissus suo arbitrio adibit: ut. ff. eo. Si uero à uiuo testatore manumissus fuerit, similiter si uolet, adibit. Porrò alienatus, iussu noui dn̄i emptoris, puta adire debebit: hoc ita, nisi testator dixerit. Stichus, si meus erit, cū

moriar liber & hæres esto. tunc enim alienatus non poterit iussu emptoris adire, sed iussu ueteris domini postea facti domini:ut.ff.eo.l.talem. Sed & si sub conditióne libertatem fideicõmissariam accepit, ab hærede purè institui poterit: ut.ff.eod. nisi domina quæ seruum secum adulterio maculauerit. Seruus alienus institutus iussu domini adire debet.ergo alienatus iussu noui domini. ergo manumissus à testatore uiuo suo arbitrio adire potest. Idem si testatore mortuo ab eo fuerit manumissus, qui eum emerit à testatore: hoc ita, si seruus alienus simpliciter instituatur hæres. Si uero & liber & hæres, nec iure ualebit: quia libertas inutiliter seruo alieno directò datur:ut.ff.eod.l.si alienum.

LIBER TERTIVS.

DE HAEREDITATIBVS QVAE AB INTESTATO DEFERVNTVR. TITV. I.



XPOSVIMVS in superiori libro de successione testamentaria: nunc audiamus de successione legitima, id est de ea quæ decernitur ab intestato. In hac successione, prima causa est descendentiũ, tertia ex trãsuerso ueniẽtium. Inter suos autem connumerantur, nõ tantum qui uerè sunt sui, sed & hi qui numerantur inter suos: aliàs per prætorem, ut emancipati: aliàs per diuales constitutiones, ut filij qui nec sunt sui nec emancipati, ut neptis ex filia: qui, inquam, olim ueniẽ

bant cum diminutione partis, quę qualiter corrrecta sunt inferiora declarabunt. Sui dicuntur, qui in potestate sunt tempore mortis: sed & hi, qui in hostium sunt potestate tempore mortis, reuersi postea sui existimantur iure postliminij: nam & contrà ille qui suus fuerat, fit non suus: puta, si pater eius post mortem suam de crimine perduellionis fuerat condemnatus: nam cum fiscus ei succedebat, suum hæredem habere non poterat. Succedunt autem sui & legitimi nascituri, ut posthumi, siue fuerint naturales & legitimi, siue fuerint simpliciter adoptati. Hi enim & cum naturalibus ab intestato succedũt. Amplius & primum spurij & postea facti legitimi ab intestato succedunt. Spurij quoq; remanentes spurij ex legitimo tamen concubinatu, in duas uncias patribus succedunt abintestato, ita tamen si patres sine uxore & liberis decesserint. Sed hoc intelligo, si patres sunt non spurij: nam si patres sunt similiter spurij, ergo agnatos non habent: tales patres, talibus filijs: tales filij, talibus parentibus in solidum succedunt. Porrò matribus filij ab intestato succedunt in solidum, cum filijs quoque legitimis æqualiter: nisi mater illustris fuerit, uel ex seruo suo concepit, uel aliàs ex damnato coitu: ita tamen succedunt spurij, si cum filijs nepotes ueniunt. sed cum filijs post mortuorũ filiorum filij, id est nepotes, in stirpes tantum. Veniunt autem nepotes auo uiuo nati, uel saltem concepti, sed auo mortuo concepti: quia nullo iure eum tetigerunt, nõ ueniunt iure mero, sed fortè naturali causa inspecta hodie ueniunt: nempe cum patrem habuerũt, ergo & auum. Idem est fortè in illis qui nati sunt apud hostes ex parentibus ambobus defunctis ibidem, id est si illi sic nati redierũt, licet proprie nõ habeant postliminium, nec redeant,

quia non recesserunt. Cum sui fuerint & emancipati, ut nepotes ex filia, ueniunt & filij: q sunt nec sui nec emācipati, ut nepotes ex filia. Porrò uetustiore iure nō inter filios, sed uix post agnatos tanquā cognati ueniebant. Iure ueteri principes tanquam filij, sed cum diminutione partis tertiæ ueniebant, sed cum distinctione. nam si cum auunculis uel cum materteris uenire uolebant, cum prędicta diminutione ueniebant, siue ageretur cum auia, idem si contenderent cum patruis. Sed tamen de successione fœminæ: ergo quinq; casus possumus notare. In tribus ueniebant cum diminutione: in duobus, sine diminutione: cū diminutione in duobus, si nepotes ex filia contendunt cum nepotibus ex filio, de hæreditate siue aui sui siue auiæ. Item si nepotes ex filio, de hæreditate siue aui sui siue auiæ. Item si nepotes ex filio contendūt cū patruis, sed quando fœmina mortua sit sine diminutione, siue nepotes eiusdem generis hincinde contendunt, id est si nepotes ex filio, cum alijs ex filio: siue nepotes ex filia, cum alijs nepotibus ex filia. Sed hodie iure nouissimo æqualiter ueniunt. Auferebatur etiam olim prædictis miseris nepotibus ex filio ab agnatis pars quarta, sed ista diminutio cassatur in hoc titulo.

DE LEGITIMA AGNATORVM SVCCESSIONE.

TIT. II.

Deficientibus suis, & his, qui habētur inter suos, uel quia nō sunt, uel quia succedere nolunt, agnati ueniunt. Sanè olim agnati mares, agnatis succedebant maribus: sed agnatæ fœminæ, nisi sorores cōsanguineæ, maribus nō succedebāt. Porrò hodie hincinde succedūt indistincte, etiā secundum xij. tab. legem,

quæ amplectitur simplicitatem, id est æquitatẽ. Simplicitas enim legum est amica, id est æqualitas & claritas: quippe, id est simplex quod est sine plica, id est quod non est iniquum, difficile, inæquale, uel asperum: ut. ff. de fideicom. hæred. uel aliter lex xij. tab. agnatos uocat simpliciter, id est distincte: ergo & agnatos. Quippe dicitur simplex, quod unum, uel uniforme est. sed & in ff. de aleator. prætor ait iudicium non dabo, ergo nec condictionem furtiuam. idem. ff. dẽ pub. iudic. l. de pretio. In summa notandum est, quòd pater qui emancipat filium, ad legitimam uocatur hæreditatem, sed emancipatus per prætorem uocatur ad emancipationis successionem. Quæ sit uarietatis ratio legum studiosus inquirat. Quid ergo dicemus? nunquid pater filiũ habens in potestate, ad eius uocabitur successionem? profectò pater agnatus proximus dicitur filio: ergo ei succedit lex xij. tab. Porrò hodie nõ tantũ patres imò & matres, & omnes superstites seruatis gradibus, præferunt omnibus agnatis in successione filiorum: præterquam fratribus, qui sunt ex utroque coniunctis, quibus uiriliter ueniunt.

DE SENATVSCONSVLTO TERTVLLIANO.

TIT. III.

TErtulliano senatuscon. succedit mater filijs legitimis, quibusdam spurijs apud hostes conceptis, in seruitute cõceptis, natis factis puberibus mortuis, sed in puberibus factis: si tamen tutores eis petierit, uel ætate, uel fortuitu casu iuuentur, uel nisi alius in petendo præuenerit, uel nisi pater uetuerit, uel nisi filij pauperes fuerint: ut. ff. eo. l. j. Orficiano senatusconsulto matribus succedũt filij nati, apud ho-

ſtes concepti, in ſeruitute ſuſcepti, legitimi, ſpurij, niſi fuerint ex illuſtri nati, uel ex illuſtri ex eius tamen ſeruo generati, uel aliàs ex damnato coitu. In ſumma ſciendum eſt, has ſucceſſiones nouas, quæ per Tertullianum & Orficianũ deferuntur, minima capitis diminutione non perimi: illæ enim ſolæ pereunt, quæ lege duodecim tabul. deferuntur.

DE SVCCESSIONE COGNATORVM. TITV. IIII.

POſt ſuos hæredes, & eos qui inter ſuos numerantur, & poſt legitimos, id eſt agnatos & poſt eos, quos in loco ſuorum legitimorum connumerant, cognati per prætorẽ ueniũt: ſic dicti quaſi communiter nati, uel quia ab initio unum cõmune initium naſcendi habuerunt: ut. ff. eod. l. j. Veniunt autem uſque ad ſextũ gradum, & qui ſunt in quinto nati à ſobrino ſobrinaue. Porrò agnati uſque ad decimum gradum ſuccedunt: rationes ſcrutentur qui ſcrutari poterunt. Porrò hæc omnia, quę de ſucceſſionibus hodie locum habent, breuiter repilogamus: deſcendentes primo ueniunt, niſi defuncti fratres extiterint ex utroq; parente coniuncti, uel taliũ fratrum filij, hi & cum defunctorum parentibus uiriliter ueniunt. Deficientibus aſcendentibus fratres prædicti primo ueniunt, & eorum filij, poſtea qualeſquales fratres: poſt fratres quales quales, & poſt qualiumqualium fratrum filios, ueniunt quicunq; ſunt gradu proximiores. In ſumma notandum eſt, quòd fratres ſpurij, ſiue ſint ex eadem matre & ex eodẽ patre, ſiue ex eadem matre, tantum inter ſe ſuccedũt. Item ſicut ſuperius diximus, ſpurij filij parentibus ſuccedũt, interdum inſolidum, interdum in nihilum, interdum in modicum, id eſt in duas uncias; ſi

militer & parentes talibus succedunt liberis. Cætera quæ desunt de successionibus ascendentium, ex latere uenientium, & ex summa Codicis, quam feci, pleniorem scientiam solicitus lector sibi poterit comparare.

DE GRADIBVS COGNATIONVM. TITV. V.

Quoniam gradus notitiam & legistas & decretistas oportet habere, ut sciant quis cui debeat succedere, & quis cum qua possit nuptias contrahere, de gradibus loquamur. Videamus itaq;, quid sit gradus, unde dicatur gradus, qualiter distinguatur, ubicunq; & secundum leges, & secundum canones. Gradus est ascēsus ab inferioribus personis ad superiores, & descēsus à superioribus ad inferiores. Sūt autem certi gradus in personis ad instar procliuium locorum & graduum qui sunt in scalis: ut ff. eo. l. iuris. Dicuntur gradus, quia per hos gradiuntur, uel ad montes uel ad ualles. Secundum canones, in eodem gradu sunt pater & filius. Secundum leges, pater est in primo gradu, filius in secundo, quo ad patrem. Sanè sicut pater est primus quo ad ascendētes, ita filius potest dici primus, quo ad descendētes, quia persona prognata gradum adijcit. Sunt quidam qui computant gradū, esse illud interuallum quod est inter patrem & filiū. Sunt & alij qui dicunt patrem non esse gradum, sed in gradu esse. Ego puto patrem, primum esse gradum, & filiū secundum, uel primum, ut expositum est: nam per patrem gradimur & descēdimus ad filium, & per filium gradimur & ascendimus ad patrem. Sunt autem in primo gradu, imò primus gradus est, pater & mater, infrà filius filia: secundo suprà auus auia, infrà nepos neptis, ex transuerso frater & soror.

Iste gradus ideo post duos superiores geminatos ponitur, quia non incipit à secundo scilicet inter se: quippe à fratre nō per se fratrem sed per alium, id est per medium patrem uenitur ad fratrem. Porrò per patrem nullo mediante uenitur ad filium, & per filium ad patrem. Quare autem ex transuerso gradu incipere dicatur, cum non sit ibi primus respectu primi, solicitus lector inquirat. fit autem diminutio graduū hic & in ff. Sobrini dicūtur ex duabus sororibus nati, quasi consororini. Ex duobus fratribus nati, fratres dicuntur patrueles, ex sorore nati his qui sunt ex fratre nati, licet improprie, dicuntur consobrini: sed nati ex fratre & sorore, amitini uocātur. sed hodie uulgariter & promiscuè omnes prædicti, uocantur consobrini ultra sex personas & supra & infra, & ex transuerso gradu possunt assignari. Sed quia nomina certa non sunt prodita, non fit deriuatio uel graduum impressio: ulla affinitatis quoque ratione, uariæ designantur personæ, ut socer, socrus, gener, nurus, uitricus, priuignus, priuigna, leuir, id est frater mariti. Glos, dicitur soror uiri: uxores duorum fratrum inter se ianitrices dicuntur: ut. ff. eodem. l. quarta. Harum omnium personarnm uarietates iurisconsultus nosse debet, propter tutelas, propter successiones, & propter bonorum possessionem, & ut sciant, qui testificari possit, debeat'ue non admitti: ut. ff. de testib. lege Iulia. In summa notandum est, illam regulam: Qui est in gradu prior, debet esse in successione potior: nō debere intelligi indistincte. ecce enim alicui distincto proximior est pater quàm nepos, & tamen patri præfertur pronepos: sed defuncti frater ei propinquior est, etiā si fuerit ex altero tantum parente coniunctus, quàm proauus, & tamen etiā abauus prædicto præfertur fratri. ergo

prædicta regula locum uendicat post ascendentes & post fratres qualesquales eorumque filios.

DE SVCCESSIONE LIBERTORVM.

TITV. VI.

EXplicauimus qualiter succedat ingenuis: nunc audiamus qualiter succedatur libertis. Et quidem illud notãdum est quod dicitur. Si liberti decesserint intestati, & sine liberis, patronos ad eorum hæreditatem uocari datur. Quidam etiam si fratres libertorum sunt in medio, parentes'ue quasi authẽticis habẽtibus, locus est duntaxat ingenuis: sed ego existimo, non tantum libertorum filios, sed eorum parentes & fratres fratrumque filios, patronis debere præferri. Cætera quæ desunt in summa Codicis quam feci, plenissime licebit inuenire.

DE ASSIGNATIONE LIBERTORVM.

TITV. VII.

QVia sæpe cõtingit libertos assignari, uideamus quis possit assignare, & qs assignari, & qualiter assignatio fiat, & quẽ effectum habeat. Assignare est testificari, cuius ex liberis patronus libertum esse uelit: ut. ff. de uerb. signif. l. assignare. Patronus plures liberos habens, uni recte assignat: hoc inquam si fuerit solus, & si habuerit patronum, nec is qui nõ assignauit ius suum amittit, sed solidum retinet: ut. ff. eo. l. penult. Sane filius manumissoris, etiã is cui assignatio facta est, suis filijs non assignabit: ut. ff. eod. l. liberi. Sed nec iudex familiæ erciscundæ, hanc assignationem libertorum facere potest: ut. ff. fami. ercis. l. quædam. Assignatur libertus unus & liberta una, etiã si fuerint apud hostes, assignantur & plures. Assignatio fit testamento, codicillis, epistola inter uiuos, chirographo,

grapho, quibuscunque personis, purè, sub conditione, ex die. Senatus enim huic negotio finẽ imposuit: ut. ff. fa. ercis. Fit assignatio filio in potestate constituto, sed & exhæredato, emãcipato quoque: si tamen pater duos filios plures've in potestate habuerit, ergo si nullum uel unum solum habuit, nec ab emancipato assignatio incipit, nec antea rite facta stabit, si in emancipatum inciderit. Amplius etiam pluribus assignatio fit, sed & posthumis, sed & nepotibus dissoluitur assignatio, si assignator reuocauerit animo adimendi, si exhæredauerit, si filius, cui assignatio facta est, eam repudiauerit, uel si, non relictis liberis, in ciuitate esse desierit: tunc enim libertus in familiam redit: ut. ff. eo. l. j. Percipitur autem assignatio, non tanquam legatum uel fideicommissum, sed nec is, cui assignatur eo solo ut det faciat'ue, onerari potest: ut. ff. eo. l. assignare. Nã nec is cui libertas tantum relinquitur. Efficit autem assignatio, ut is solus filius cum suis filijs, cui assignatus est libertus, assignato sui liberto succedere debeat: uerum non eo minus libertus iste, & alıjs patroni filijs reuerentiã debebit exhibere, & eosdẽ si fuerint inopes alere: ut. ff. eo. l. alimenta. In summa notandum est, quòd si uni filio facta est assignatio purè, alteri sub cõditione, & is cui purè assignatio facta est, interim pendente conditione in solidum patroni ius habere dicendum est: ut. ff. eo. l. sub conditione. Itẽ illud notandum est, quòd si ex altero patrono unus sit filius, ex altero duo, & horũ duorũ alteri libertus sit à patre assignatus, hæreditatis liberti nõ semissem, sed bessem iste filius, cui libertus defuncti assignatus est, habebit: uerũ quando pater suus uiuit, nec capite diminutus sit.

DE BONORVM POSSESSIONIBVS. TITV. VIII.

IN hoc titulo supiori, per quas personas nobis acquiritur, diximus, & quia quatuor modis per uniuersitatem res nobis acquiruntur. cum ergo exposuimus qualiter per hæreditariã causam: nunc uideamus quemadmodũ per arrogationem, per bonorũ aditionẽ. dicamus itaq; quare bonorũ possessio sit introducta, & quę sit & qualiter distinguatur. Introducta est bonorũ possessio, ne quis sine successore decedat: quippe licet bonorũ possessor non sit hæres, loco tamen hæredis ponitur. nam & si dominus sit uel utiliter experitur, & cõuenitur: prętor enim non facit hæredem, quia testamentũ uel lex hoc efficit, sed facit pro hærede. Est autẽ bonorũ possessio ius persequendi retinendiq; patrimoniũ, uel rei, quę fuit cuiusq; cũ is moritur. Insurgit oppositio. Si possessio est ius persequendi, ergo bonorum possessio est actio? Respondeo: nõ sequitur, hoc enim dictum figurate existimo. hoc est, bonorũ possessio est ius quoddam prætorium, quo iure impetrato, postea nobis incipit competere ius persequendi: ergo actio licet non directa, utilis tamen hæreditatis petitio. Nam & aliàs ius, quo imploratũ & impetratur dãni infecti cautio, uocatũ stipulatio, nõ quia stipulatio, sed qa eo iure extorquetũ stipulatio. ff. de uerb. oblig. l. actionis. Distinguitur bonorũ possessio pluribus modis: siqdẽ alia facti est, ut Carboniana: alia iuris. & ea quę est iuris, alia est extraordinaria alia ordinaria. Itẽ alia est necessaria, alia de pleno pectore manat, ut ea quæ datũ suis qui iure ciuili ueniũt. Itẽ alia ex testamẽto datur, alia cõtra testamẽtũ. Ex testamẽto sunt duæ, secundũ tabulas, & contra tabulas. Secũdum tabulas, alia est uerè secundum tabulas, ut quę datur instituto: alia

est quasi uerè,ut ea quę datur ei,qui habetur pro instituto: puta ei cuius in puerperio mater decesserit. Cōtra tabulas similiter inuenitur, & uerè, & quasi uerè:ut cōtra scriptas tabulas uel quasi uel contra nuncupationem. Item cōtra tabulas uendicatur,filijs à patre præteritis, & parētibus à filio,patronis quoq; à liberto pręteritis.Quasi contra tabulas,datur his,qui nec prorsus præteriti sunt:sunt autem quasi pręteriti, ut liberi sub conditione exhæredati.dicitur autem contra tabulas ex testamento, licet nitatur contra tabulas.quia tabulæ originem sumit. Si autem istæ duæ bonorum possessiones de superuacuo proditæ sunt: nempe hæredes instituti & præteriti, qui debent institui, ueniunt iure ciuili ab intestato.Bonorum possessiones olim erāt octo.unde liberi:hæc dabat̄ ab intestato suis,sed ex abūdanti:emancipatis uero, necessariò. Sed hæc reperitur,& uerè unde liberi,& quasi,ut ea quę datur parentibus. nam aliàs nomine filij corrupti agitur actione utili.Secunda est,unde legitimi:& reperitur hęc unde uerè legitimi,id est quę datur agnatis: & quasi unde legitimi, id est ea quæ datur patri,matri,patrono. Tertia est,unde cognati, id est ea quæ datur his qui remanserunt in familia cognatione:& quasi cognati, id est ea quæ datur transeuntibus per adoptionem in familiam alienam.Quarta est, bonorum possessio àb intestato. Bonorum possessio unde uir & uxor, & est inter omnes hodie sexta. Aliæ quatuor quidem possessiones iampridem exulauerunt.Vnde patroni & patronæ,unde cognati manumissoris, & unde decem personæ. hæc bonorum possessio stultissima erat, quia ascendentes uenientes per superiores bonorum possessiones inducebat, & quasi personas decem ex transuerso manumissori præferebat, quare si

manumissor iste pater fuerit alius'ue: si dicatur quòd pater fuerit, ergo pater patri præfert: quod est ridiculum. Si dicatur quòd erat imaginarius familiæ emptor, hoc est absurdum: iste enim nec olim succedebat. In summa sciendum est, quod hæ bonorum possessiones ab intestato, siue fuerunt necessariæ, ut unde liberi, in emancipatis, siue ex abundanti proditæ, ut unde legitimi, in agnatis hodie locum nō habent. per ius enim ciuile per authēticas cōstitutiones plenissime omnibus, qui succedunt, ius succedendi tribuitur. Excipiuntur duæ bonorum possessiones hodie locum habentes, unde uir & uxor, & Carboniana. Erat & olim, sed hodie non est, ut puto, bonorum possessio innominata, utilis, extraordinaria, quam Prætor stabili iure non cōnumerauit. Quippe & uenientibus ex testamento & ab intestato promiscuè dabatur: reuertentibus ex testamento ab hostibus per legem Corneliam, & per constitutiones natis ex matribus qui in puerperio decesserunt. Amplius liberis & parentibus, per bonorum possessionem, olim dabatur tantū utilis annus: sed hodie si repudiauerunt filij hæredes se immiscere, poterunt etiam hæreditatem petere. fortè idē est & in patribus, sed olim extra nei cētum diebus utilibus à bonorū possessione repellebantur, puta matres, filij emancipati, patres qui emancipauerunt, & agnati & cognati. Verum hodie, meo iudicio, excluduntur utili anno, licet quidam in contrarium sentiāt: ut. C. de iure delibe. l. cum antiquioribus. Item & illud scire expedit, quia bonorū possessio, alia dicitur decreta, alia decretalis, id est realis. Decretalis est illa bonorū possessio, quæ ut decernatur, postulatur. Bonorum possessionem is poterit amittere cui delata est, & per se & per aliū, ut per tutorem & procuratorem. Sanè alienam bonorū

possessionem nemo repudiare potest, nec tutor nec curator, nec procurator. Insurgit oppositio. ergo decretalis bonorũ possessio, aut decreta repudiari potest uel utraque. Atq; sicut hæreditas repudiata ex ordine non reuocatur, quæsita non repudiatur: ita bonorũ possessio iã decreta uel delata nõ repudiatur. Quod enim quis semel uoluit, id amplius nolle non debet: ut.ff. de succes. edict.l.j.Item decretalis bonorũ possessio quia nondum cõpetit, id est nõ decreta delata'ue est, non potest repudiari: & hæc non decretalis nec decreta posset intelligi oportet dici aliam, id est tertiam esse bonorum possessionem, quæ nec decretalis est, ne decreta: alias solicitus lector inquirat. Amplius sciendum est in secũdum tabulas bonorũ possessione locum fuisse edicto successorio, quo etiam quis sibi ipsi succedit. Item licet bonorum possessio decretalis nõ possit repudiari, tẽpore tamen poterit finiri: ut.ff.de succes.edic.l.j. Amplius & illud expedit scire, quia patres iniquè prætereũtes, in edictum bonorum possessionis contra tabulas cõmittunt: sed & liberi in edictum cõmittunt: ut.ff.de bono.posses. contra ta.l.j. Item illud notandum est quòd mirabile est, quia patronis & eorum filijs datur bonorum possessio contra tabulas unde legitimi: sed & mirabilius eis etiam datur bonorum possessio unde cognati. Cætera quę desunt de bonorum possessione, in summa Codicis quam composui, inuenire licebit.

DE ACQVISITIONE PER ARROGATIONEM.

TITV. IX.

EXposuimus quẽadmodũ per uniuersitatẽ res nobis acquirũtur, ut per hęreditatẽ, per bonorum possessionẽ: nũc audiamus quẽ

admodum per arrogationẽ. Et quòd arrogatio=nis iure omnia arrogati bona transeunt in potestatem arrogatoris: ergo & corpora, & iura, ut ususfructus, habitationes, actiones: excipiũtur, ius agnationis, & obligationes operarum: nõ dico seruilium legatorũ uel conductorum, sed dico operarum libertorũ. non dico obsequialium etiam in non faciendo consistentium: hæ enim etiam ad hæredes extraneos transeunt. Sed intelligo quia obligationes operarum libertorũ obsequialium duntaxat in faciendo cõsistentium, ad arrogatorem non transeunt: quia nec operarum ad hæredem extraneũ. In summa sciendum est, quòd hæc per arrogationẽ acquisitio uiuente arrogato impropriè dicitur successio, quoniã non succeditur uiuo: licet fiscus, deportato monasterio, monacho succedit: quoniã hi pro mortuis habẽtur. Sanè mortuo arrogato propriè erit successio, & succedet arrogator: nisi eũ alię personæ præcedere debeant, ut agnati infra pubertatem debeant prçcedere, aut postea arrogati filij, uel forte eius pater, mater: nã cum arrogatus reliquerit duos patres, & genitorẽ & arrogatorem, aut non ueniunt, aut fortè naturalis secum æstimabit: cõtrarium enim statuere foret absurdissimum. In summa item notandũ est, quòd arrogator, etiam pro negotijs gestis ab arrogato antequam arrogaretur, poterit cõueniri: uerum non de suo patrimonio, sed de rebus filij arrogator soluere debebit compelli.

DE EO, CVI LIBERTATIS CAVSA BONA ADDICVNTVR.

TITV. X.

ACcessit quarta species successionis, quæ uocatur bonorum addictio. Videamus itaq; quid sit addictio, quando locũ ha=

beat, cui fiat, & quem effectum habeat. Bona addicere nihil aliud est, quàm bona defuncti alicui dare uel applicare. fit autem hoc per iudicem, ut puto: fitq́ ne defunctus afficiatur iniuria, & ne libertates pereant. Tunc autẽ petitur addictio ex ordine, cum defunctus libertates reliquerit testamento, & hæreditas nõ aditur, quæ damnosa creditur. Sed & fit addictio, si quis inter uiuos libertates dederit, si causa quæratur, si tamen in fraudem datæ nõ fuerint. Item ex ordine fit addictio antequam creditores bona uẽdiderint. Ex æquitate etiam post uenditionẽ, sed intra annum. fit autem addictio liberto, sed & alij seruo non manumisso: sed & cuiq; si idoneè cauerit de soluendo solido creditoribus, quod cuiq; debetur: nec referre puto omnibus caueatur, uel uni nomine omniũ. Contingit autem quiddam uenustum in hoc casu, ut per conseruum & non libertate donatũ alij liberentur. Idẽ quoq; ipse per se ipsum efficitur liber, ne sibi minus, plus alijs largiatur. fiunt autẽ liberi, siue his per fideicõmissum libertas relicta est, siue directò fiunt orcini, nisi addictionis petitor aliàs non uelit sibi addici bona, nisi & illi fiant sui liberti: quod inquam fiet, si tamen & illi consenserint: alioquin in seruitute manebunt, & quem fortè mitissimũ patronũ dominum noluerint habere, acerbissimũ sentient dominũ. Sed hunc habet effectũ addictio: quia hæres, cui bona addicũtur bonorum possessori assimilatur: q̃ppe utiliter experitur. Etenim bono. posses. prætoriam non petet, sed nec proprie hæres est: nẽpe nec testamẽtarius est, neq; legitimus, id est p̃ legẽ xij. tab. ab itestato succedit. ergo & successio ista etiã noua est. Huic similis est illa successio, quę datur extraneo hęrede scripto defuncti iudiciũ. l. represen. nõ adimplẽte: ut. C. de fideicõ. authen. hoc amplius. Siquid superfit

de summa Codicis quã feci, & ex constitutione Iustiniani.C. de testa.manu.fas erit colligere.

DE SVCCESSIONIBVS SVBLATIS QVAE FIEBANT PER *bonorum uẽditiones, & senatusconsultum Claudianum.*

TITV. XI.

ERat olim aliæ duę species succedendi per uniuersitatem, scilicet emptio siue uẽditio bonorum, quæ fiebant per creditorem, etiã fortè sine iudicis autoritate, & fortè etiamsi debitor reliquisset hæredẽ. hæc successio est sublata. Erat olim sexta mirabilis successio, quando mulier libera miscuerat se seruo alieno, maxime matrimonij uoto, amittebat cũ libertate substãtiã, & mulieri uiuenti quasi mortuæ succedebat dñs serui. sed nec hęc successio hodie locũ habet.

DE OBLIGATIONIBVS.

TITV. XII.

EXplicauimus illud ius, quo quid sit nostrorũ: nũc persequamur ius obligationũ quo quid sit nostrorum nobis debitum, uel aliter. Suprà in pricipio primi libri diximus: omne ius, quo utimur, uel pertinet ad personas uel res: de his diximus, uel ad actiões: de his audiamus. Sed quia actiones nascũtur ex obligationibus, de his loquamur. Vel aliter, diximus suprà in secundo titulo secũdi libri, res incorporales esse, usumfructũ, usum, seruitutes, hæreditates, obligationes, & de cæteris diximus: itaq; de obligationibus rerũ audiamus. itaq; quid sit obligatio naturalis & qualiter obligatio distinguatur. Obligatio est iuris uinculum, quo necessitate astringitur, alicuius rei soluẽdæ secundũ nostræ ciuitatis iura. Obligatio est iuris uinculũ, id est

ius uinciens ad instar uinculi corporalis. Sicut enim per uinculum corporale quis uincitur ne possit abire, ita per uinculũ obligationis: quod est intellectuale, astringitur quis ut debeat promittere, facere, dare. Magis enim obligationis uinculum potest intellectu percipi, quàm elocutione exprimi. Ecce chirographo quis se obligauit, hic inquam obligatus nõ est, nec oratione figurali si uelit tali, neq; uocali, sed oratione intellectuali: ut. ff. eo. l. nõ figura. nam & Moyses dicitur clamasse, licet in corde dicebat: sed corde clamat. Sed & insipiens nõ ore, sed in corde suo dixit, Non est deus. Sequitur: Quo necessitate astringimur. quippe si dixero dabo si uolam, non obligor. Idem si dixi spondes, & tu respondeàs, spondeo, sed ioco & demonstrãdi intellectus causa: ut. ff. eo. l. iij. Alicuius soluendæ rei, id est speciei dandæ, uel non: uel negotij faciendi, uel non. his uerbis excluditur exceptio. primis uerbis remouetur ius quo soluimus, ut nouatio. Sequitur: Secundum nostræ ciuitatis iura. his uerbis excluditur obligatio tantũ naturalis: & sic secundum ista dicatur, quòd definiatur obligatio ciuilis, id est ea quæ tantum actionem parit. uel possumus dicere secundum ciuitatis nostræ iura, id est ne quid inciuiliter, id est turpe uel turpiter promittatur, ut sit descriptio prædicta obligationum & tantum naturalium sit cõplexiua. nam & talis obligatio abusiue, ut ita dixerim, naturalem obligationẽ parit: ut in. ff. de fideiuſ. & mand. Tria sunt notanda: contractus, obligatio nascens ex contractu, actio proficiscens ex obligatione, nec altera alterius nomen suscipit in prædicatione. ego autem puto, quòd licet obligatio non sit actio, nec econtrà, est tamẽ etiam idipsum quod est actio: nec ego aliud aduertere ualeo. Item obligatio

complectitur obligatum, & obligantem, & id de quo fit obligatio. Aristotelicus tantum inquirit ubi sit obligatio, & in quo, utrum'ne in obligante uel in obligatione, uel in re obligata, uel in prædictis omnibus. In hoc tamen titulo non agitur de obligationibus rerum, sed personarum. Est autem dicta obligatio quasi ligatio. Naturalis obligatio ea est, ut quid fiat nostrum nobis debitum: nisi secundum quosdam, nisi ecclesia contraxerit. per alios enim articulos dominium nanciscimur, per transactionem, usucapionem, per præscriptionem, per hæreditatem, per bonorum possessionem, per bonorum adiectionem, per arrogationem, per monachationē, per deportationem quoq; fiscus acquirit. Obligationum prima diuisio hæc est: alia naturalis tantum, alia ciuilis tantum, alia ciuilis & naturalis. Naturalis tantum trifariam inuenitur: ecce enim pupillus sensum habens, si contraxerit sine tutore, & cum tutore, nec locupletior erit, tamen naturaliter obligatur. Item qui per ius, per pactum nudum: nec enim actio nascitur hic, sed competit retentio. Item donatarius ad antidora naturaliter obligatur: uerum hæc est obligatio ex bono & æquo, & non naturalis qualis est ea quę nascitur ex nudo pacto. Ciuilis quoq; dicitur tribus modis ad differentiam prætoriæ obligationis. Item ciuilis causa dicitur, quæ & de crimine mouetur, & etiam actione prætoria, ut furti manifesti, ad differentiā criminalis causæ. Ciuilis & naturalis obligatio est, quæ ex negotijs & maleficijs puberum & non furiosorum nascitur. Item obligationum, aliæ sunt ciuiles, aliæ prætoriæ. Ciuiles aliæ sunt legibus inuentæ, ut lege xij. tab. lege Aquilia, & lege Cornelia: aliæ sunt ciuiles iure gentium proditæ, sed iure ciuili non probatæ; aliæ sunt ciuiles quæ à

ratione tantum inuentæ,ut obligatio literarum & emphyteutæ. Prætoriæ sunt quas Prætor introduxit,ut obligatio pecuniæ constitutæ. Item obligationũ, aliæ oriuntur ex cõtractibus,aliæ ex quasi, aliæ ex maleficio, aliæ ex quasi. Sunt quædam quæ non nascũtur, sed dantur:ut.C.de transac.l.cum mota.&.l.si pro fundo. in.ff.legitẽ quásdam ex uarijs figuris causarũ oriri, eas autẽ figúras existimo esse quasí contractus, & quasi maleficia. uel dici potest hoc dictũ esse propter condictionẽ furti,quæ aliunde nascitur. Sicut in summa Mantuæ probaui. Et quia cõtractus digniores sunt,de cõtractibus audiamus. Contrahitur obligatio per contractus aliàs rebus,aliàs uerbis,aliàs literis,aliàs cõsensibus. Quæri potest,utrum'ne ex maleficio istis modis cõtrahatur: minime.sed tantũ re,ut infrà de furtis. uidetur tamẽ posse dici, ex maleficijs obligationem prædictis modis contrahi. Ecce iniuria fit re, id est facto:fit uerbo,ut cõuicio: fit scripto,ut carmine famoso. Item obligationũ aliæ sunt puræ, aliæ conditionales,aliæ ex die,aliæ in diem: nõ ut ipsa extinguat obligatio, sed quia post tempus competit exceptio:aliæ sunt sub modo,aliæ continent accessionem. sub modo: puta, dabis Titium aut Pamphilũ.sub accessione:puta,dabis mihi aut Titio decem.uel ita,dabis mihi decem aut Titio hominẽ. Item obligationũ aliæ sunt ab initio necessariæ, aliæ sunt ab initio uoluntariæ:uerũ hæ nisi fuerint cõtractæ in necessitatẽ nõ transeũt. Ab initio necessariæ sunt hæ obligationes serui à domino instituti. Itẽ similiter filius patrem, & ecõtra: libertus patronũ,& ecõtra: uasallus dominũ,& ecõtra, ut exhibeãt naturaliter & ex necessitate obligati sunt. hæ tñ obligationes ex æquo & bono & p iudicis officiũ,nõ p actiõis ppositiones mãcipant effectui.

QVIBVS MODIS RE CONTRAHITVR OBLIGATIO.

TIT. XIII.

Videamus qualiter nomen rei accipiatur, & quibus modis re contrahit obligatio, & exponamus modos illos, de qbus agitur in hoc titulo. Rei nomen accipitur hic generaliter pro specie & quātitate: generaliter in titulo de rebus creditis, generalissime ubi ponitur etiam pro maleficio: specialiter, ut infrà tit. de rei uendic. Re contrahitur obligatio, per mutuum, per indebitum, per commodatum, per depositum, per pignus. hi modi sub hoc titulo explicantur: sed alijs modis re cōtrahitur obligatio, ut per permutationem, ut per donationem, ut per do ut des, per do ut facias. dictum est mutuum, quia ex meo fit tuum, & in quantitatibus tantum consistit. Contrahitur autem mutuum ubi quis numerat quantitatem suā nomine suo, ut tanta quantitas sibi reddat: ergo deficit mutuum propter rem alienam, sed & propter personā: ut si is mutuat, qui prohibitus est, ut prodigus, furiosus, pupillus. ergo & ꝓpter utrunqꝫ, ut si pupillus pecuniam alienā nomine suo mutuet propter singularia præcepta. Si quis numerauit pecuniam suam nomine meo, mihi quæritur actio directa. Inutile tantū mutuum reconciliatur per consumptionē, & per stipulationē. hæc de naturali mutuo. Sanè etiam ciuiliter cōtrahitur mutuū, sed nō per stipulationem: puta, si pretium mihi debitum nouandi animo stipuler, & sic eam in creditum. hoc in casu fit nouatio de causa in causam: aliàs fit de re in rem, ut si numo dato mutuo oleum stipuler. Ex naturali mutuo nulla datur actio: alias nisi certi condictio nascitur, quæ ex numeratione, id est nisi in-

continēti, id est ante numerationem mihi reddi stipuler, postea'ue statim. tunc enim non fit nouatio, quia id agitur ut ex stipulatione tantum competat actio: ut ff. de noua. l. cum enim. Ea est mutui natura, ut reddatur non idem indiuidualiter, sed aliud sub eodē genere quod sit tantundem, & perequè bonum. sanè etiam aliud quandoque, & aliud reddi potest, aliàs ex necessitate facti, uel ex necessitate iuris, ut puta si pecuniā deberes habere, non ualens speciem soluere: ut C. de solut. authen. hoc nisi. Ex necessitate iuris: puta, si quis debeat marcham, marchæ pretium etiam inuito creditori soluere poterit: ut. ff. de aur. leg. l. quarta. fortè idem est & econtra. Item ex uoluntate debitoris, quandoq; ex causa mutui, id est quod acceptum est reddi potest, & liberatio contingit: puta, si pecuniam quam mutuam accepisti, non expendisti, illam reddere uolens, debes audiri, sed ex uoluntate creditoris, id est ei uolenti, aliud pro alio reddi potest & solui. Illud notandum est, quòd pane dato ut panis reddatur, non contrahitur mutuum, sed agitur do ut des, uel aliud negotium innominatum. nec enim panes uel lapides consistunt in mensura, & pondere, uel numero: nempe in his consistunt tantum fructus liquidi, & aridi, & metalla, & pecuniæ numeratæ. Re quoq; obligatur, qui accipit id quod soluens sibi non debuit. excipitur enim quod quis nomine legati, uenerabili loco soluerit, uel nomine domini quasi à se dati quid præstiterit. In his enim casibus sufficit à quopiam fuisse debitum. Idem fit ex iudicato, ex iureiurādo, in dote, ex causa pietatis, & in pecunia nō numerata per biennium: hæc enim ueritati præiudicant. Vel omni iure debitum, uel saltem naturali repetitur. excipitur nisi mulier soluerit: ut. ff. de condict. indeb.

Inde bitum

l.interdum. Vel nisi hæres, & maxime filius, nō retenta falcidia per errorem facti soluerit legata integra. Illud notandū est, quòd hæc species negotij, non proprie cōtractus, imò distractus nomen obtinuit: tamen ut condictio indebiti, dicatur ex quasi contractu oriri, quippe extra id quod agitur, tacita obligatio nascit, nec eo minus dominium transfert, quisquis soluit, in causa non iure errauit. nempe errans in causa dominium transfert, non errans in iure: ut. ff. de acqui. re. do. l. si procurator. Illud quoq; sciendum est, quia de condic. inde. ideo hic ponitur, quia licet nō proprie ex contractu, re tamen talis obligatio contrahitur. Re quoque obligatur commodatarius, sed tenetur ad idem restituēdum, secus quàm in mutuo. Item à mutuo non liberatur debitor propter fortuitū casum: quia pecunia uel quantitas perire nō potest. Excipitur ubi oblatum debitum sibi, creditor sine causa recusauit: nam si postea sine uitio offerentis sit perditum, debitor exceptione se tuebitur: ut. ff. de solut. l. si debitor. Sanè commodatarius de fortuito casu non conuenitur, nisi illud promisit, uel nisi suo uitio in illum inciderit: sed de dolo tenebitur, si in contractu conuenerit. de culpa quoq; lata & leui & leuissima, si in contractu conuenerit, uel commodantis gratia commodatum fuerit: ut ff. cōmodati. l. si ut. Commodatur autem proprie, & sæpe, res mobilis, excepta pecunia: improprie, & raro, res immobilis: sæpe etiam ad hoc commodantur pecuniæ, ut ditis gratia numerationis loco intercedant. Commodatum intempestiuè & ante præfixos fines reuocare nō licet, sed precarium ante licet: ut. ff. de precario. l. ij. Item depositarius re obligatur, ut ipsum reddat quod accepit, sicut commodatarius, sed non per omnia. Sicut enim nec tenet nisi de dolo & lata

culpa: salua tamen fide, tantam diligentiam debet in rebus depositis, quãtam in proprijs, alioquin dolose ageret & perfidè uersaretur. Sanè in quatuor casibus depositarius & de leui culpa tenetur: puta, si conuenerit, si se obtulit, si quasi pretium, uel quasi mercedem depositionis accepit, si sui gratia depositum sit: ut. ff. si cer. pet. l. si quis nec causam. depositarius & hæres eius tenetur in simplum. Verum ex causa tumultus, incendij, ruinæ, naufragij, in duplum conuenitur. si inficiatur & conuincatur, hæres quoque suus similiter ex dolo proprio: sed ex decessoribus dolo duntaxat in simplum urgetur: ut. ff. eod. l. quod tumultus, &. l. j. §. prætor ait. Creditor qui pignus ex conuentione accepit à debitore, obligatur, & tenet de dolo & de leui culpa, ubi conuenerit. De fortuito casu creditor non tenetur, nisi promiserit, uel nisi ui abripuerit: imò etiam pignore amisso debitum repetit, nisi conuenerit ut amissio pignoris liberet debitorem. nec ego in contractibus distinguo, an amissionis causæ expressæ sint aliquæ uel nullæ: cõtrà in iudicijs: ut. ff. de iudic. l. sed &. In summa sciendum est, quòd pignus utriusque gratia contrahitur: & creditoris, ut ei in tuto sit creditum: & debitoris, ut citius ei credatur: atque commodatum ex ordine gratia deponentis etiam respuit culpam leuem: non admittit depositum etiam compensationẽ. Item sciendum est, quia licet pignus re contrahitur, ut pignoratitia nascatur, consensu tamen hypothecaria inducitur. Contractus quoque innominati, ut, do ut des, aut facio ut facias: & cõtractus permutationis obligatio, re contrahitur, nasciturque priuata actio siue fiat quod conuenit: aut si is qui dedit, maluerit, condicere poterit. De his contractibus, quia ego alibi de his disserui, pauca dixisse sufficiat.

Pignus

DE VERBORVM OBLIGATIONIBVS. TITV. XIIII.

DE uerborũ obligationibus, meo iudicio, illud expedit scire, & memoriç imprimere, quòd licet generaliter dicat̃ ex stipulatione, si fuerit incerta, oriri actionem ex stipulatu. Pro dotibus debet intendi semper actio ex stipulatu, incerta si fuerit stipulatio certa´ue. idẽ erit forte in fideiussoribus. Illud notari debet, quòd stipulatio ista, dabis mihi decem quoad uiuam: propriè nec pura est, nec sub conditione, imò mixta est, id est pura est ratione primi anni, & conditionalis ratione sequentium annorum: ut. ff. quan. dies lega. l. nec semel. Item illud sciẽdum est, quòd stipulatio sola nouat, nõ alia pactio. Item illud sciendum est, quòd quandoq; ex utili stipulatione non nascitur actio, sed tamen exceptio: puta, si mulier suo debitori promiserit in dotem quod ipse mulieri debebat: ut. ff. de iu. dot. l. si pater. Cætera quç expedit scire de stipulationibus, in summa Codicis, & in summa uagante extrinsecus, quæ incipit: quoniam uerborum &c. sufficienter & diligentissimè explicaui.

DE DVOBVS REIS STIPVLANDI ET PROMITTENDI. TITV. XV.

LIcet expressum pactũ aliàs generaliter cõferri soleat, tamen si creditor pactus fuerit, ut sibi soli liceat excutere in solidum quemcũq; uelit, de duobus pluribus´ue reis debendi, non tamen hoc facere poterit: nisi alter fuerit, uel non soluendo in totum partem´ue, uel absens. Item sciendum est quòd licet de duobus reis alter purè se obliget, alter sub conditione, etiam alter exigi potest, licet alter non possit,

tamẽ nihil impedit quod dicitur: Quòd duo plures'ue rei debendi etiam in disparẽ causam obligari non possunt. Quanquam enim dissimiliter obligentur non tamen dispariter. Quippe secundũ qualitatẽ dicitur quid simile, uel dissimile: secundum quantitatem dicitur quid æquale, uel inæquale: par, impar. Cætera in Codicis summa diligens lector inquirat.

DE STIPVLATIONE SERVORVM.

TITV. XVI.

AVdiuimus de stipulationibus in genere: nunc in quadam specie, uel aliter. Suprà de stipulatione liberorum hominũ: nunc de stipulatione seruorum. Interdum quis seruus est personæ, interdum hæreditatis, quæ gerit uicem personæ. Et quidẽ seruus hæreditarius, siue stipuletur impersonaliter, siue sibi, siue cõseruo, siue hæreditati, siue domino suo futuro, nõ inserto eius nomine proprio, hæreditati acquirit. Idẽ si fuerit seruus personæ, uel eius qui portatur in uentre. Excipitur in seruo hæreditario, nisi stipuletur factum cohærens suæ personæ: ut puta, licere sibi ire agere. tunc enim dominus nõ ibit, sed solus seruus. hæc ita se habẽt in seruo unius personæ. Seruus enim plurium cõmunis stipulatur quatuor modis: aut enim facta est iussio sine nominatione, aut noĩatio sine iussione, aut utrunque processit, aut neutrum. Vbi iussio sine nominatione processit iubenti quæritur, multo fortius si iubens nominetur: Si iubens nominetur, ut dictum est, ei quæritur. item si alter dominus noĩetur, nisi tantũ ex re iubentis stipulatio sit. Porrò aliàs nominato quæritur etiã si alter iusserit ubi neutrũ processit, ubi seruus cõmunis stipulatus

est,siue impersonaliter,siue sibi seruũ, siue cõseruo, siue dominis suis, non adiectis noĩbus proprijs,pro partibus dominicis acquirit singulis. hoc ita singulis,si singuli iusserint. Quid ergo si nomina propria dominorum non appellata,stipulator seruus inseruit:uiriliter quærit,si uterq; distinguitur ex ordĩe: ut.ff.eo.l.si communis seruus. In summa notandũ est,quòd seruus stipulatur nõ domino, si ab eodem iure usufructus,uel bona fide possideatur: alteri uero stipulari non potest, licet uoluit, quia non potuit: nec domino,licet potuit: quia noluit.

DE DIVISIONE STIPVLATIONVM. TITV. XVII.

Stipulationum aliæ sunt conuentionales, aliæ iudiciales,aliæ prætoriæ,aliæ communes, id est tam prætoriæ quàm iudiciales.hę sunt species.Porrò puritas,dies,conditio,stipulationũ formæ, sunt non species. Conuentionales sunt,quæ ex consensu contrahentiũ, de quocunq; relicto tantũmodo concipiuntur.Iudiciales sunt,quæ proficiscunt à mero iudicis officio, siue pretor sit iudex,siue alius,ut prefectus,proconsul,præses,qualis est cautio de dolo:puta illa,quã rei uendicatione uictus possessor prestat, uel exponit : periculum est enim ne hominẽ uel pignorauerit, uel manumiserit. Prætoriæ sunt quæ à mero pretoris officio:imò melius dici posset, quæ ab edicto prætoris fluxerunt, qualis est damni infecti,& legatorum cautio.Hæ inquam prætoriæ dicuntur,quas pretor & nullus iudex, prætor,inquam,mortuus inuenit:non eas uiuus tamen, sed sedens in edicto siue in albo proposuit.Ergo licet iudicis partibus uiuentis interdũ opus sit,non tamen iudiciales dicuntur:quia iudex has ex se non disponit,sed à prætoribus iam

pridem mortuis dispositas & introductas interponit. Dicet quis. ff. de uerb. obligatio. l. stipulationum & prætoria & iudicialis sunt species oppositæ & coæquæue? Respondeo: non obloquitur. hic enim iudicialis à iudice dicitur, ibi æqui uoce iudicialis à iudicio nuncupatur. Quæritur quòd dicitur ædilitias esse prætorias, de quibus ædilitijs dicatur? Respôdeo: de his dicit, quibus cauetur de uicijs & morbis, non etiam de ea qua cauetur de euictione. Item quęrirur de senatoria qualis sit: puta cum ususfructus côstituitur per cautionem in pecunia? Respondeo: eam esse prætoriam. Item quæritur de stipulatione duplæ, scilicet de euictione, an sit prætoria, an iudicialis, an conuentionalis, an communis. Communes, id est tam prætoriæ quàm iudiciales. Veluti pupilli rem saluam fore? Nam & prætor iubet rem saluam fore pupillo caueri, & interdum iudex, si aliter expediri hæc res non potest, ut caueatur, efficit. dicis.* quis ergo damni cauti quæ tamen prætoria, quandoq; & prætoria & iudicialis. Iudicialis tantum est: puta, ubi plures dati sunt testamento tutores: hoc enim in casu pretor nil cauit, sed ut commodius tutela regatur: si alter solus administrare uelit, ut offerat cautionem, iudex præcipit uel permittit. idem in pluribus datis ex inquisitione. Vbi uero plures sunt legitimi, & opus est prætoria cautione semper, & aliquando iudiciali: puta, si aliàs tutores inter se non côcordarût. Sequitur: Etiam de rato cautio communis est. hoc ego intelligo non prædicto modo, id est quòd sit tã prætoria, quàm iudicialis, sed ideo fortè, quia aliquando sic cauet, tam reus quàm actor: uel fortè aliàs dicitur communis, id est tam iudicialis quàm conuentionalis.

*Hic uidentur aliqua deesse, quæ itidem desunt in manuscripto exemplari.

DE INVTILIBVS STIPVLATIONIBVS. TITV. XVIII.

SVpra de substantia stipulationum diximus nunc de earum qualitate loquamur.& sic uideamus quæ sint utiles, ut per consequentiã scire ualeamus quę sint inutiles.Inutilis stipulatio fit per dissensum:puta, si ego Stichum stipulatus de alio senserim,& promissor de alio,contrà in iudicijs: is enim homo intelligitur petitus de quo actor senserit:alioquin reus semper negaret se cõsensisse.ut.ff.de uerb.ob.l.inter stipulantem.Item si filiusfamiliàs impubes,etiam iubente patre,stipulanti promiserit, ciuiliter nõ obligatur.Sed si pupillus tutore autore promiserit, tenebitur.hoc ita tam uariè, quia filiusfamiliàs læsus de patre nõ quæritur:sanè pupillus tutorẽ tutelæ actionis ictibus subijcit. Item si quis stipuletur rem cuius non est cõmercium,ut campũ Martium,nil agit. Porrò quãdoq; rei cõmerciũ tenet,ut liberæ personæ emptio, stipulatio minime:sed emptio nutu perficit,stipulatio minime. Sed & si quis emerit,sed alij puta Stichum, tota emptio in persona ementis cõualescit:sed stipulatio pro parte dimidia tantũ tenet. Harum uarietatum quæ sit ratio solicitus lector inquirat. Item si stipulatio facta sit,ut alius prætor,quàm cuius iurisdictio sit,ius dicat:uolũtate tacita nemo cõpellitur tali stipulationi stare: ut.ff.de iuris.om.iud.l.si conuenerit. Amplius ratione responsionis stipulatio non ualebit:ut.ff. de uerb. ob.l.j.Sed & si quis nõ respõderit ad id,de eo de quo interrogatio facta est,æquè non obligatur. Porrò si stipuler quinq; & tu respondeas quinq; & quinq;,placeat uel non diuersitas responsionis,ualebit stipulatio:tunc enim alia stipulatio

contracta esse uidetur: ut.ff.de uerb. oblig.l.j.§. cum adijcitur. Idē in speciebus: puta, si stipuler Pamphilū,& tu promiseris Sthicū & Pamphilum: nēpe qui amplius minus'ue promittit, idē promittit & non aliud, maxime cum tot sint stipulationes, quot sunt res expressæ. Si uero stipuler ita. Promittis mihi Paridis arma & Aristotelis uolumina: utrum & tu spōdeas simpliciter dabo, uel cū adiectione omnia dabo? licet plura sint arma, multaq; sint uolumina, stipulatio tamen una est. Quid ergo si stipuler uel Pamphilū & tu respondeas, utrunq; dabo, uel econtra? tali diuersitate non nocitura, stipulatio ualebit. Si uero stipuler equum, & tu promiseris leopardū? placeant uel non diuersitates respōdeo: nulla est stipulatio duplici ratione, tū quia de altero tantum est interrogatio, & de altero tantum est responsio: tum quia ista diuersitas, non simpliciter diuersitas, imò potest dici etiā aduersitas. Ex his intelligitur, licet quandoq; promittatur minus, stipulatio ualet: quādoq; nō ualet. Idem & iam in eo quod plus est, ualet, si minus inest: ut si mihi stipulanti decē tu respōdeas quinq; animo consentiendi. Idem est si stipuler Sthicū & Pamphilū, tu responderis Stichū. Idem & si stipuler mihi aut Titio, & tu dixeris tibi soli promitto: ut.ff.de uerb.obli.l.ult. nō ualet si minus respondetur: puta, si stipuler decē & tu quinq;, uel econtra: respondeas, nisi stipulationis diuersitas placeat. Idem si stipuler Sthicū & Pamphilū, tu respōdeas Stichū solum. Idē si stipuler in diem, tu purè respōdeas, placeat uel nō diuersitas responsionis, ualet stipulatio. Si plus promittatur, puta, si mihi stipulāti Stichū, tu promisisti Stichū & Pamphilū. Idem si stipuler Stichū aut Pamphilū, tu respōdeas Stichū solū. Idem est si stipuler in diē, tu purè respondeas, placeat uel non di-

uersitas respõsiõis ualet stipulatio. Idē est si plus promittit: puta eñ stipulanti Stichum, tu promisisti Stichū & Pamphilū. Idē si stipuler Stichū, tu dicas, ꝓmitto Arma uirumq; cano: ualet, meo iudicio. & si stipuler Clypeum, & tu dicas, omnia arma dabo. Itē si quis stipularetur alteri, nil agit: nisi pater filio, uel ecōtra: dñs seruo, uel ecōtra: dñs procuratori, non ecōtra: nisi fortè præsente dño & in iudicio: ut. C. eo. l. iij. uel uti publicus seruus magistratui, ul' curator adulto. In his ultimis casibus utilis actio quærit̄ pupillo adulto, uel si numeratā pecuniā, is qui numerat, stipuletur alij reddi: in quo cautio directa cōpetit alij ergo interdū stipulatur quis sibi, & quęrit tantū alij, ut si filius seruus'ue stipuletur. Interdū stipulatur quis alteri, & quærit tum illi, tū sibi, ut pater filio, seruo dñs, procuratori dñs, creditori debitor. Interdū quis stipulatur alij, & quærit illi utilē actionē, ut tutor pupillo, seruus publicus magistratui, curator adulto. Idē in deposito, in dote, in donatione post tempus alij restituenda: idem in pignore: idē si pater filiæ suæ stipuletur aliquid dari post mortē suā: idē si mater proficiscens, pecuniā depositā mandauit filio suo dari, si ipsa nō rediret, ut. C. ad exhib. l. si res. &. C. de pact. cōuen. tam super dot. l. pater. C. de donat. quæ sub mo. l. quoties. &. ff. de pigno. act. l. sicut &. ff. de uer. ob. l. quicūq;. &. ff. deposi. l. publia Meuia. Aliàs ubi quis stipulatur alij, sicut dictū est, nec sibi quærit, quia nō uult, nec illi, quia nō pōt. Sed nec si in pignore deceptus sit creditor, cui pro mutuo datus sit fideiussor, nec referre puto, is qui ꝓmittit, dicat, ꝓmitto tibi, quia dabo illi, uel ꝓmitto me daturū illi, eius deceptionis nomine, quia hoc nō est cogitatū, non tenebitur fideiussor, ut. ff. de fideiussor. & mandator. l. si in pignore. Sunt etiā alij plures modi in titulatura

ſtipulationum, quos ex ſumma Codicis diligẽs lector colligere poterit.

DE FIDEIVSSORIBVS. TITV. XIX.

DIximus ſuprà qualiter uerbis aliqui obligentur, per ſe & principaliter, nũc exponamus quemadmodũ aliqui obligentur pro alio facti fideiuſſores. Illud ſcire expedit, qa ſi plures fuerint fideiuſſores oẽs tenentur in ſolidũ, niſi aliud ſit actum. ergo & in ſortem & in uſurã, & in actionẽ, quæ naſcitur non ab initio, ſed poſtea: in omnẽ enim cauſam accepti creduntur, ut. ff. eo. l. ſi quis pro eo. §. ſi numos. Nã & interdicto quorũ legatorũ fideiuſſores ab hærede dati tenebũtur legatario, nomine incrementi, ut. ff. quor. lega. l. diuerſum eſt. Nõ tenentur in pœnam uel multã, quam nõ ſpopõderũt, ut. ff. eo. l. fideiuſſores. ſed nec ſi in pignore deceptus ſit creditor, cui pro mutuo datus eſt fideiuſſor, eius deceptionis noĩe, quia hoc non eſt cogitatũ nõ tenebitur fideiuſſor, ut. ff. eo. l. ſi in pignore. Habẽt autẽ fideiuſſores hæc remedia, ſi malũt ſoluere, poſſunt à creditore poſtulare actionem ſibi cedi & contra debitorẽ, & contra cõfideiuſſores. Sanè non facta ceſſione, fideiuſſor, etiam ſi ſoluendo ſit, confideiuſſorem etiam liberat, nõ tamen conuenit. Sanè contutori contractus, res, & præter ceſſionem actio competit. Datur autẽ remedium epiſtolæ confideiuſſoribus, ita demum ſi fuerint ſoluendo, & ſi non inficientur, & ſi litis conteſtatæ tempore imploretur, ut. ff. eo. l. ſi dubitetur, datur hoc remedium ipſo iure, id eſt etiã ſi non impetretur à iudice, tamen datur, aliàs nõ ipſo iure, ſed per exceptionem, puta, ſi unus ex fideiuſſoribus in ſolidum conuentus, contendat confideiuſſorem eſſe ſoluendo, quippe ſi fue-

rint ſoluendo, in ſolidum conuento remediũ epiſtolæ cõpetet, quod eſt exceptio: ut. ff. eo. l. ſi contendat. In ſumma illud ſciendum eſt, quòd ſi ex fideiuſſoribus pluribus unus acceptus fuerit purè, alius in diem, uel ſub conditione, auxiliũ epiſtolæ ſuccurrit ei qui purè acceptus eſt, ſcilicet ut interim non niſi uiriliter poſſit cõueniri. Porrò in defectu cõditionis actio reſtituetur in eum in ſolidum: ut. ff. eo. l. ſi plures. Item illud notandum eſt, quod mirabile eſt: quia ſi fuerint duo fideiuſſores in xx. & alter conuentus, ne urgeatur quinque dederit, nec alter liberabitur, & ab altero quindecim exigi poterunt, nec ulla exceptione ſe tuebitur. uidetur enim quod non debet niſi tantum x. conuenta: ut. ff. eo. l. ſi ſtipulatus. Cætera in ſumma Codicis inuenientur.

DE LITERARVM OBLIGATIONE.

TITV. XX.

Literis contrahitur obligatio: puta, ſi quis ſcripſerit, ſcribi'ue fecerit ſe accepiſſe, qđ ei non fuerit nũeratũ, naſciturq́ ex tali chirographo condictio: ſed inefficax per exceptionem non numeratæ pecuniæ intra biennium. uel ſi intra hoc iuri in teſtãdo paritum ſit: alioquin etiam pupillus poſt biennium, nec excipere, nec ſolutum repetere iure ueteri poterit: & obligatio primo ciuilis tantum, poſt biennium fit naturalis. Et qui primo erat tantum literis obligatus, incipit & re & efficaciter, impleturq́ primæ obligationis ſubſtantia, poſt exceſſum bienniũ tanquã ſi numeraretur pecunia. Sanè hodie omnis, etiam contra hanc exceptionem biennalem qua exceptio non numeratæ pecuniæ communi iure ſopitur, illæſus permanet: ergo maior poſt

biennium non habet auxilium, nec cõdictionis incerti, nec exceptionẽ doli mali. Quippe si admitteretur doli mali exceptionem post bienniũ cõpetere, absurdum foret, & esset legem uerbis ponere, & non rebus. Non habet maior regulariter auxilium:excipitur,nisi per restitutionẽ uitietur:ut.C.eo.l.in contractibus.Item excipitur conuentus pro dote restituẽda hæres mariti, cuius morte solutum matrimonium est. hoc ita: si intra biennium à tempore contracti matrimonij computandum, soluatur matrimonium. si uero matrimoniũ steterit ultra biennium,& soluatur intra decẽnium, hæres incipit intra tres menses, postea non incipit. Imputabit enim sibi,cũ tanto tempore matrimonium durauit:ut.C.de dot. caut.authen.quod locum habet.Ergo hęres dotis in hoc casu quãdoq; excipit per tempus breuius,quàm per biennium,quandoq; per tempus amplius,quandoq; nullatenus excipit:ut si matrimonium durauerit ultra decenniũ.Superiora locum habent,ubi creditus debitor ex cautione cõuenitur,perhibet quem quid accepisse, quod non accepit. Si enim aliàs aliquis cauerit, id est si quippiam debere ex causa aliqua antecedente & uetustiore, præterquàm ex causa mutui, tali solenni confessioni non poterit obuiare, sed necesse habebit soluere:nisi forte uoluerit, uel ualuerit,per apertissima rerum argumenta scriptis inserta,probare, alio modo quam cautio perhibet negotiũ intercessisse : ut.C.eo.l.generaliter. Superiora locum habent in debitore cauente: enimuero si creditor scripserit,sibi solutum esse, quod solutũ est intra triginta dies, excipere poterit,& non postea:nisi iuri in testando paritum sit. In summa notandũ est in tribus casibus excipi posse à creditoribus, fortè nec à debitoribus, in depositis, in functionibus publicis, in

dotibus post cōfectionem dotalium instrumentorum, per priuatā quoque scripturam cautis: ut C.eo.in contractibus. Amplius forte notari poterit, quia ubi quis, etiam sine scriptura, cauerit se accepisse quod non accepit, uel in factum, uel utiliter, de numerata pecunia excipere poterit, quando potest. Si quis literis obligatus est, cum nō accepit, si credi debet, an teneatur ex mutuo? Sicut instrumentum perhibet, quem fideiussisse licet non fideiussit, an ex stipulatu? respondeo. utique: nam licet uerè sit literis obligatus condemnabitur, nisi exceperit, & creditor se numerasse non probauerit. Sanè ubi quis scripserit se fideiussisse, uel ex causa antecedenti debere, nisi ipsum & in contrarium probauerit, post biennium condemnabitur. Item quæritur: ubi quis scripserit se pecuniam, cum non acceperit, accepisse, non dicatur literis obligatus, sicut is qui scripserit se pecuniam, cum non acceperit, accepisse? respondeo: quia fideiussor non nisi uerbis obligatur, uerum debitor pecuniæ uelut mutuæ, obligatur re, uerbis, & literis, intra biēnium, & inefficaciter, si excipit: nisi creditor quod falsum est, uerū esse, sicut sæpe fit, probauerit. Itē quæritur si quis hodie scripserit se accepisse, nec acceperit, si postea accepit, uel biennium transire permittit, an literis sit obligatus? respōdeo: imò & literis erit obligatus, & re. Primo literis erit obligatus, & re: uel primo literis tantū. Vel dici potest ut ex postfacto tantum existimetur obligatus: uel ab initio, ut ille tantū ex stipulationis experiatur causa, qui pecuniam à se numeratam in continēti stipulatur. Illud enim dicere est absurdum, ut literalis obligatio transfundatur in realem, uel ut præcedēs literarū obligatio perimatur per sequentē ex mutuo. nec enim obligationem perimit obligatio, nisi sola stipulatio.

DE OBLIGATIONIBVS EX CONSENSV.

TITV. XXI.

DE obligationibus quæ contrahūtur uerbis diximus: nunc audiamus de aliјs quæ contrahuntur cōsensibus. Hic quæri potest, quare generaliter de his primo tractetur, & postea per singulos titulos specialiter: item cū suprà de obligationibus, quæ re contrahuntur, & in simul, & breuiter, tractatus habitus sit? fortè ideo, quia hi iuris articuli, & hę obligationes, & utiliores sunt, & sæpius interponuntur: sed forte ideo, quia in hoc breui titulo exponit quæ obligationes consensu contrahuntur: quia consensus exigitur in omnibus obligationibus. Et quod illæ solæ obligationes dicuntur cōsensu contrahi, quæ contrahunt solo consensu, etiā sine adminiculo rerum, uerborum, literarum, ut emptio, uenditio, locatio, conductio, societas, mandatū. Certe isti cōtractus solo cōsensu perficiuntur: nam & per nuncium locatio ab initio contrahitur. uenditio quoq; inter uiuos, adeò, ut nec præsentia opus sit, nec literis, nec rebus, nec uerbis, sed sufficit contrahentes consentire.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

TITV. XXII.

DE contrahenda emptione primum dicamus, postea de aliјs tractabimus. Videamus itaq; qualiter contrahatur, & quarum rerum, & quæ sit forma emptionis, & ad quem emptæ rei periculum spectet. Emptio perfecta quidem esse ad obligationem intelligitur, cum de pretio conuenitur, ita tamen si purè: secus si sub conditione: ita tamen si species uęnit. nam si uinum uendatur, siue ut species, siue ut quantitas, non intelligitur uenditum nisi sit

degustatũ,uel nisi degustatio sit remissa per pactum:ita tamen si sine scriptis. nam si in scriptis uenditio uenit, nil erit actum, donec totũ mundum,quod uulgo charta uocatur, sit cõsummatum : eritq; locus pœnitentiæ, ita ut nec emptor compellatur pretiũ numerare,nec uenditor rem tradere, sed prorsus ambæ partes impune poterunt à contractu utiq; discedere. hoc ita si nullæ sint arræ datę.Sanè arræ datæ,si steterit per dantem,amittuntur : si per accipientem, condictione ex lege,uel iudicis officio, duplabuntur. nec enim actioni empti locus est, cum emptio nõ sit completa. Sanè si sine scriptis uenditur, & arra datur,ex empti actione,ut dupletur, agitur, nec non iudicio ad interesse contenditur, cum datis & acceptis arris tacite uideantur contrahentes pacisci,aut arrarũ amissione,uel duplatione debeant esse contenti. Quæri potest,utrum'ne dominium rei traditæ ex contractu scriptis initiato, &non consummato, transeat in emptorem? ego tuq;.nam ex donationis contractu fit idem: sed & qui nulla ratione debet, si credens se debere,soluendi animo præbet, dominium transfert : nam & si à pupillo sine tutore emero rem alienam, usucapio : ut.ff.pro empt.l.ij.§.si à pupillo. Item quæri potest ex prædicto contractu uenditionis re tradita,qs possit agere? utrum'ne possit uenditor condicere,uel pretium petere?& quidem mera ratione non condicit:quia in contractibus nominatis condici non solet : sed nec pretium petet,quia actionem nõ habet.Ego tamen puto, quòd uenditor ex contractu non cõsummato, rem traditam condictione sine causa poterit reuocare : nisi emptor uelit pretium numerare: Nec obstat quod dicitur, ex contractu nominato traditum condici non posse: ut.ff.de contra.empt.l.& quod.ualida enim est emptio:

id enim obtinet si contractus fuerit tantũ rei sacræ, quo casu ignarus emptor agit ad interesse: aliàs tenet emptio, ratione rei & iam bona fide: puta, ubi quis emerit rem uendẽtis, alienam'ue: nam & alienam rem uendere quem posse, ut se obliget, non uenit in dubium. Inualida est emptio, ratione rei, & personæ. Ratione personæ, ut si furiosus, uel prodigus emerit uel uẽdiderit, uel si pupillus sine tutore uendiderit: sed si emerit, obligat, & non obligatur. Sed si procurator, uel tutor, cum sit unicus, à pupillo suo emerit, nihil agit. Idem si miles uel magistratus, emerit in patria, uel in prouincia sua: nisi uẽdat res paternas, uel nisi emerit cibaria, uel indumenta. Ratione rei inualida est emptio, ut si quis emerit rem inuendibilem, puta campum Martium, domum combustam, rem propriam, siue uenditor & emptor id scierit, siue non: ut. ff. eod. l. si in emptione. Rei enim propriæ emptio non ualet, nisi fiat sub conditione, uel possessionis intuitu: ut. ff. eod. l. suæ rei. & l. existimo. Item inualida est emptio, si dissentiatur in cõtractu, in pretio, in sexu, si erratur in corpore, uel rei materia, siue in qualitate, puta si æs pro auro, uel plumbum pro auro uæneat. Sanè si acetum pro uino uæneat, emptio tenet, quia uini & aceti eadem propè usia est: si tamen uinũ acuit, id est ab initio uinum factum sit acetum: in cæteris autem nulla est emptio, si erratur in materijs: ut. ff. eo. l. in uenditionibus. In talibus tamen casibus dicitur, quia licet emptio non teneat, ex empto tamen agitur: ut. ff. de act. emp. & uend. l. si sterilis. Quare autem emptio nõ teneat, si in corpore sit consensum, licet in materia si erratum, causidici certant & adhuc sub iudice lis est. Illud sanè cõstat, quòd si proposui hoc corpus emere, uelut aurum, & est aurũ, licet deterius quàm putaue-

rim,non ideo tamen minus emptio contrahitur, & ex empto agitur. Contrahitur emptio purè,in diem,sub conditione, puta si Imperator recesserit de Italia. Sed & sub conditione arbitri, puta quãdo Titius arbitrabitur, uel ita, esto tibi codex uenditus centum aureis, si Titio placuerit, & quidem si Titius non arbitretur, uel quia nõ possit, uel quia nolit: nec enim compellitur arbitrari,emptio quæ pendebat, in irritum deducitur, neq; effectũ sortitur,-neq; admissa diuinatione,ad arbitriũ alterius decurretur:sed si male interposuerit arbitrium,illud nõ corrigitur,nisi summè fuerit iniquum. Idem in locatione si locationis substantia, id est mercedis constitutio, in tertiæ personæ conferatur arbitrium:secus in accidentibus, ut approbatione, & institutione partium societatis. Hæc conferuntur in arbitriũ etiam alterius ex contrahentibus, multo magis in arbitrium tertiæ personæ, & si non sunt arbitrati,uel male,corrigetur arbitriũ:ut.ff.pro soc. l.ueluti. Item distinguitur, cõferatur arbitrium in rem,an in pretium, siue expressim, siue tacite, emptio ualebit, puta si dixero, esto tibi res empta centũ, si rem uolueris, uel si res tibi placuerit. Item si arbitrium conferatur in ratiocinium domini arbitrio faciendum, puta si dixero, tibi seruus meus uẽditus esto centũ,si rationes meas quas gessit, meo arbitrio computauerit: ualet enim emptio, & ad boni uiri decurrit arbitriũ: ut.ff.eod.l.hæc uenditio, ubi idem arbitriũ confertur in pretium,distinguitur: an conferatur in tertium,an in alterum: si in tertium,ualet,& nõ refert,siue expressim,siue tacite, puta si dicatur, esto tibi uẽditus codex quanti Titius uoluerit, uel centum, si Capitolium ascenderit. Si conferatur in alterum,subdistinguitur:uolũtas sit expressa,uel uelata: si fuerit expressa,non ualebit:

ut si dicatur, esto tibi codex uēditus quanti uolueris, uel centum, si uolueris. Si uerò fuerit uelata, emptio ualet: ut si dicatut, esto tuus centū, si Capitolium ascenderis. Contrà prorsus est in uoluntatibus ultimis: nempe institutio collata in alterius uoluntatem quàm eius, qui instituitur, ut esto hæres, si ille uoluerit. idem in legatis. Sed si dicatur, hæres esto, uel tibi do, lego, si ille ascenderit Capitolium, ualet: quia expressa nocent, non expressa non nocent. Contrahitur emptio rei præsentis, & futuræ. Rei præsentis & futuræ, ut quæ sit uendētis & alterius. Spei etiam contrahitur emptio, ut iactus retis, quo in casu ex uendito agitur, etiam si nil captum sit: ergo nec deceptio re ipsa contingens, id est ultra dimidium locum habet: ut. ff. eod. l. nec emptio. Forma specifica emptionis est, pretij cōuentio: sufficit enim ut emptio sit obligatoria, conuenire de pretio, licet non sequitur numeratio, etiā de pretio consistente in pecunia numerata, id est numerabili, & certo, ut centum: uel incerto, ut si dicatur, quanti tu eum emisti, uel quanti pretij in arca habeo, uel quanti Titius arbitratus fuerit: tunc enim si creditum est, emptio ualet, quia pendet. Post contractam emptionem, etiā ante traditionem, periculum rei uenditæ pertinet ad emptorem: hoc ita, si species uænierit, ut uinum, post degustationem, uel post id quod habetur pro degustatione: nisi uenditor causam periculi præstitisset. Si uerò uinum uęnierit tanquam quantitas, ante mensuram, etiam degustatum, emptori non peribit: nisi, ut non mensuretur, emptor effecerat. Item hoc ita, si res uænit sine scriptis. Item hoc ita, si purè: nam ubi sub conditione, periculum, in quo res perijt, pertinet ad uenditorem. Sanè si contingit conditio deteriorationis, detrimētum quod est notabile,

ſpectabit ad emptorem: ut. ff. de periculo. l. neceſſariò. Excipitur ſpecialiter etiam publicatio poſt traditionem: imputatur enim uẽditoris uitio: ut. ff. locat. l. ſi fundus. Item ſi emptio ita facta fuerit, eſto tibi emptus Stichus aut Pamphilus, prius decedentis periculum ad uenditorem, poſterioris reſpicit ad emptorem. Sed & ſi ſimul deceſſerint, periclitabitur emptor: ut. ff. eo. l. ſi in emptione. Pertinet, inquam, periculum ad emptorem, quod contingit natura, quod caſu: multo fortius ſi emptoris uitio perierit. Quid ergo ſi homo uenditus fugerit, aut ſurreptus fuerit? diſtinguitur, promiſerit uenditor cuſtodiam uſque ad traditionem, uel non: ſi non promiſerit, & ſine dolo, uel culpa amiſerit, non tenebitur, etiam ultra leuiſſimam culpam: ſed in commodato nõ ultra leuiſſimã culpam tenet̃, nec in lege Aquilia. Sanè operis ſub aduerſionis periculo legatis, locator in nullo genere durius puta tenebit̃, niſi fatale damnum contigerit: ut. ff. naut. caup. l. & ita. Illud prętereundum eſſe non puto, quòd ſi pater à filio ſuo emit, qui alterius inſtitor fuerit, emptor tenetur, & actio naſcitur, non inter patrem & filium: hoc enim tantum procedit in caſtrenſibus, ſed inter patrem & præponentem: ut. ff. de inſtito. l. ſed &. §. ult.

DE LOCATIONE ET CONDVCTIONE.

TITV. XXIII.

IN hoc titulo illud diſtinguendũ puto, ſi quis ueſtimentum ſarcinatori ſarciendum dedit, ſi ſarcinator gratis ſuſceperit, mandati agit̃: ſi mercede certa conſtituta numaria, locati: ſi aliud conſtituatur ſoluendum, ex innominato contractu præſcript. uerb. agitur. Idem ſi dominus ueſtimẽti dixerit uulgariter, iuſtitiam tuam uel

uel rationem tuã tibi dabo. Idem si dixerit, quãtum erit iustum, rectum, æquum, cõueniens. Sed & sicut hic legitur, idem erit si dixerit: quantum inter nos conuenerit, miror ergo quare, etiam si nolit conuenire, si possit, & quo iure compelli possit, conuenire. Sanè si dicatur esto tibi codex uenditus, quanti inter nos cõueniet, nec emptio contrahitur: quia pretium non constituitur, nec aliquod negotium innominatum celebratur. licet, ut dictum est, secus sit, si uestimentum sarciẽdum sarcinatori sic committatur. Sed nec, si dominus procuratori uel aduocato dixerit, dabo quantum conuenerit uel conueniri poterit, salarium incertæ pollicitationis petitur. Harum uarietatum rationem lector inquirat. Sanè si quis dixerit, dabo tibi tantum, quãtum mihi placuerit, uel quantum uolam, uel quantum arbitratus fuero, nil agitur: nisi fortè in dote, & partium societatis constitutione: ut. C. de promis. dot. l. j. ergo aliàs nec emptio, nec conductio, nec cõtractus constituitur innominatus. Item si cum aurifice qs cõuenerit, ut annulos sibi faceret, distinguitur: si ex aurificis auro, certo prętio constituto, emptio est, & futuri annuli emnuẽ. Si uero cõuenit ut dantis auro, & certa merces constituta est, locatio celebratur. Si uero meum aurum aurifici dederim, centum aureis sibi constitutis, & eo acto, ut de quocunqꝫ auro mihi annulos faceret, ex innominato contractum præscrip. uerb. ago. Idem si in hoc casu, non pecuniam, sed quid aliud me daturũ spondeo. Quis ergo contractus erit si quis prædia perpetua fruenda interueniente scriptura, & quasi extimatione constituta, & certa pensiuncula annua promissa, acceperit? & quidem non erit locatio, quia ius in rem competit acceptori: nec erit uẽdicatio, quia & proprietas, & possessio ciuilis penes dantes residet, sed

erit contractus medius inter locationem & uenditionẽ à Zenone introductus, qui uocatur emphyteusis. In summa notãdum illud puto, quòd si quis fundum suum dederit alicui colẽdum, ut partiatur cum eo fructus, non est uera locatio, nec uera societas: & ideo agitur, uel utili actione, & pro socio: ut. ff. de his q deie. uel effu. l. perceptione. uel actione prescrip. uerb. ut. ff. eo. l. si merces. Cætera quæ desunt de locato & de emphyteutico contractu, in summa Codicis diligens lector inspiciat.

DE SOCIETATE. TITV. XXIIII.

SVmpta occasione à quasi societate, audiamus de uera societate. Itaq; quid sit societas qualiter & quibus interuenientibus contrahatur, & quod ius sit de portionibus, & quatenus retineatur, & qualiter dissoluatur, & quatenus socius socio teneatur. Societas est cõiunctio personarum cõmodioris usus & liberioris quæstus gratia. Cõntrahitur re & uerbis, & per nuncium, sed tamen solo consensu cõtrahitur, & cõtrahitur purè, & in diem, & sub cõditione, & in perpetuũ: hoc autẽ de ea societate quæ contrahitur tractatu habito ob lucrum. Quippe est quasi societas, alia curialis, ut inter cohæredes: ut. ff. fami. ercis. l. heredes. alia quasi societas nõ curialis, ut inter cohabitantes: ut. ff. de his qui deie. l. perceptione. Est tertia societas quæ tractatu habito contrahitur, nõ ob pecuniã, sed ob prolem procreandã: ut. C. de crimi. expil. hæred. l. aduersus. Est & quarta societas, quæ cõtrahitur inter dñm, & colonũ partiariũ: ut. ff. locat. l. si merces. Itẽ uera societas cõtrahitur specialiter, quo casu etiam donata: nisi fortè hæreditas paterna cõicatur: aliàs simpl̃r, quo casu ex quæstu obueniẽtia dũtaxat cõferũtur. Est aũt quæstus, qui ex opera

cuiusque descēdit, & tūc hæreditas delata nō ueniet: ut. ff. eo. l. ea. & l. quæstus. Itē cōtrahitē societas simplr: aliàs gratia hoīm, aliàs gratia negotiorū, aliàs unius negotiationis tantum. Itē contrahitur societas rebus, uel pecunijs, uel ecōtra, aliàs in hanc collatis operis: ut si duo societatē coierint, ut grāmaticam doceant, partes societatis æquales erunt, & si socij inequaliter contulerunt, siue generaliter, siue specialiter. Idem si nihil de partibus dixerunt. ergo si per contractum dixerunt, ut inæquales sint partes, & specificauerunt, inæquales erunt. Idem si quandoque cōstitutionem partium, conferant etiam in socij arbitrium, sicut superius dictum est. Sanè siquid fuerit dictum de damno, & in lucro omissum, idem in societate contracta & in lucro oportebit intelligi. Idem & econtra. ergo si duo socij inter se pepigerūt, ut ad unum duæ partes damni, tertia lucri perueniant, conuentio facta ualebit. Sed & si conuenit, ut quis lucri partem ferat, sed de dāno non teneatur, conuentio tenet. Est & hæc illa societas, quæ uulgò dicitur societas contracta capite saluo. Porro si conuenit ut alter ferat totum lucrum, alter subeat totum damnum, societas est nulla, uocaturque leonina. hoc tamen oportet intelligi negotiationibus seorsum inspectis. Quippe si generaliter inspiciamus, & ad summam computationis ueniamus, lucrum & damnum in eadem societate: utpote contraria, in simul esse non possunt: nempe si lucrum est in aliqua societate, non est ibi damnum, & econtra. Societas consensu contrahitur atque rursus soluitur dissensu, id est facta renuntiatione ab uno socio non dolose. Item dissoluitur morte & rerum, & personarum, & morte naturali, & ciuili: morte naturali, ut si unus de socijs decesserit, quo in casu, nec inter superstites durabit: secus

ſi unius renuntiatione ſocietas fuerit diſſoluta. Morte ciuili perſonæ ſoluitur ſocietas, ut deportatione, monachatione. Item naturali morte rerum diſſoluitur ſocietas, ut ſi res interierit. Ciuili, ut ſi res conſecratæ fuerint. Item bonorum ceſſione, ſubſecuta uenditione. Tenetur ſocius ſocio etiã negligentiæ nomine, ſed hoc ita, ſi uel in ſuis diligens eſt, uel eſſe ſolet: aliàs minime. ergo in medio conſtitutus eſt inter depoſitarium & cohæredem: quippe depoſitarius nõ tenetur, niſi ad eam diligentiam, quam in ſuis præſtaret, & prǽſtiterit, aut non. ergo ita diſtinguere poſſumus: depoſitarius tenetur leuiter, ſocius fortiter: cohæres fortius, commodatarius fortiſſime. In ſumma notandũ eſt quòd ſocietas ſimulata non tenet. Item donationis cauſa contracta. Item nõ tranſit ad hæredẽ, licet actio pro ſocio tranſeat. Item durante ſocietate, quia ius fraternitatis in ſe habet, niſi in uectigalibus, non agitur pro ſocio. Item turpis lucri damni'ue non habetur ratio. Si quid tamen dolo ſocij mei damni cepero, ab eo repeto: ut. ff. eo. l. adeò. & l. actiõe. Item ex contractu ſocij ſocius directò nõ obligatur: nec utiliter, niſi in communem arcam pecuniæ uerſæ ſunt. ut. ff. eo. l. iure. Item illud ſciendum eſt, quia cum inſtantia quæritur, ſi alter ex ſocijs cõtulit centum, puta alter promiſit tantum operas ſuas, die prima, ſecunda'ue ante collationem operarum, poſſit agere diſſoluendo ſocietatem, ut partem pecuniæ debeat exportare? & quidem uidetur, quòd mera ratiõe debeat, quia illico ſocietate coita, communis facta dicitur pecunia. Videtur in contrarium, & quia nondum operas contulit, & quia feſtinat nimium. Hanc quæſtionem ſoliciti lectoris indagini relinquo.

DE MANDATO.

TITV. XXV.

ET quia socius socij quasi ex mandato, negotia gerit, de mandatis annectamus. Videamus itaque quid sit mandatum, unde dicatur, quibus uerbis concipiatur, qualiter contrahatur, & quibus modis, & qualiter distinguatur, qualiter explicetur & dissoluatur. Mandatum est officium honestum gratis susceptum, exhibendum amico. Dictum est mandatum quasi manu datũ: id enim regulariter potest quis mandare, quod de iure ualet efficere. Sanè proconsul antequam in prouinciam sibi decretam perueniat, legatum suum in illam prouinciam ex necessitate dirigit ut de causis cognoscat, ut. ff. de offi. procon. l. aliquando. Verbis uarijs, ut fideicommissum, concipitur mandatum, ut uolo, rogo, mando, & consimilibus. Contrahitur purè, sub conditione, & differtur in diem. Contrahitur tacitè, & expressim, ut per patientiam, puta si ego præsens re presente patior pro me fideiubere: ut. ff. eo. l. si remunerandi. & l. qui patitur Sanè si quis fideiubeat pro absente, non agitur mandati, sed nego. gest. ut. ff. eo. l. ex mandato. Item inter duos reos tacitum est mandatum: ut ff. ad Velleia. l. uir. Sed inter stipulantem & adiectum, ut suprà de inutilibus stipulationibus, cõtrahitur mandatum mea gratia tantum. Hoc in casu quæri potest, an ad instar depositarij, mandatarius de solo dolo teneat? minime: quia plus exigit natura mandati. Item quæri potest, an ad instar socij, si mandator conscius mandatarium minus diligentem eligit, sibi debeat imputare? ego minime. Expressim cõtrahitur mandatum, coràm, per nuncium, per epistolas. Item contrahitur utiliter alijs quatuor modis, quos ipsa In

ſtitutionum ſeries euidentiſſime exprimit. Planè ſi tibi mandauero tua gratia tantum, puta ut emas uel fœneres pecuniã, ſine præſinitione perſonæ, non eſt obligatorium mandatum: quia eſt conſilium ex quo nemo tenetur, niſi fuerit fraudulentum. Sanè præfixa perſona, puta Titio credatur, tenebit: ſed ita ſi creditor aliàs Titio crediturus non fuerat. In caſu ſuperiori non tenetur ergo ſuperius mandatum potius eſt conſilium, quàm mandatum. Vnde mãdatum aliud eſt inutile, aliud utile. Inutile aut propter perſonam, ut ſi ſeruus mandet domino. item ſi ſeruus ſimpliciter mandet de ſe emendo. Propter cauſam, ut ſi adoleſcens luxurioſus mandet tibi ut pro meretrice fideiubeas. Sed & propter turpitudinem, puta ſi quis mandauerit furtum fieri: nempe nec mandator contra mandatarium, nec mandatario, contra mandatorem actio datur, etiam ſi mandatarius ſtipulatus fuerit pœnam ſibi reſtitui, quam præſtitiſſet conuentus actione furti. Item ſi ſeruus mandauerit ſe emi & manumitti, nullum eſt mandatum. Mandatum ſuſcipere liberæ uoluntatis eſt, ſed ſuſceptum cõſummandum eſt: alioquin mandatarius tenebitur, niſi renũtiauerit etiam tempeſtiuè: niſi forte iuſta cauſa interceſſerit, aut non renuntiandi, aut intempeſtiuè renuntiandi. Debet autem mandatarius id agere, & non aliud quàm quod ſibi mandatũ eſt. Ergo ſi cui mandauero fundum emere Cornelianum, & ipſe emerit Titianum: uel ut emeret centum, & ipſe emerit quinquaginta. In primo caſu non agitur: in ſecundo duntaxat ad centum, etiam ſi forte utiliter uideatur emiſſe: ergo nec nego. geſt. pro hoc, quòd amplius eſt, agere poterit: ut. ff. eo. l. ſi pro te. & ff. de nego. geſt. l. ult. Sanè interdum mandatarius licite in plus aget, ut ſi appellet. Item ſi petiturus hærediditatis

tem interdum de tabulis exhibendis efflagitet minus, quo iure agit.* ut octoginta emerit cum in mandato acceperit. Dissoluitur mandatum, morte, re integra, & reuocatione. hoc ita, si fuerit expressum mandatum: quippe si fuerit tacitum non reuocatur, nisi contestatione: ut. ff. de solut. l. si quis. In summa notãdum est, quòd si certum fuerit mandatum, recedi à forma non debet. At quoties incertum, uel plurium causarum, tunc licet aliis præstationibus exoluta sit causa mandati, quàm quæ ipso mandato inerat: si tamen hoc mandatori expediat, mandati erit actio: ut ff. eodem. l. si quis.

*Hic desunt nõ nulla quæ etiam in manuscripto exemplari desyderantur.

DE OBLIGATIONIBVS EX QVASI *contractu.*

TITV. XXVI.

EX quasi contractu oriuntur obligationes, ex obligationibus actiones. Ecce enim negotiorum gestorum actiones sunt, ut directa, utilis, contraria. Tribus enim modis geritur, sponte, necessitate, necessitatis suspicione. Item directa tutelæ contraria, directa protutelæ contraria. Porrò actio de rationibus distrahendis ex maleficio est, & in tutorem curatorem'ue datur in duplum. Item communi diuidundo, & familiæ ercifcundæ, quæ personales sunt, ex quasi contractu nascuntur. Item actio ex testamento, qua singularia relicta petuntur. Condictio quoque funeraria, ratione debiti, ex quasi contractu nascitur. actio quoque funeraria: ut. ff. de religio. & sumpt. l. prima. fortè & petitio hæreditatis. In summa illud sciendum est, quòd citra ordinem, in subsidium datur negot. gest.

actio, puta ubi quis rem meam suo nomine uendidit, & ego uendicare non ualeo, & ubi cohæres insolidum expediuit negotium, quod nō nisi insolidum poterat expediri: hoc ita tamē, si iam fuerat dictatum familiæ erciscundæ iudicium.

PER QVAS PERSONAS NOBIS *obligatio acquiritur.*

TITV. XXVII.

ACquiritur nobis obligatio, sicut superius exposuimus. per quas personas nobis acquiritur. & supra de stipulatione seruorum: planè si qua desunt, in summa Codicis reperire licebit.

QVIBVS MODIS *obligatio tollitur.*

TITV. XXVIII.

ELiditur obligatio per exceptiones, sed tempore nō tollitur. Sanè certis modis tollitur. Ecce enim solutione si soluat debitor pro debitore suo: & ita si soluatur ei cui solui debet, nō dico ei cui debetur: quippe tutori & adiecto non debetur, & tamen si soluatur eis, liberatio competit. Contra, si pupillo soluatur, licet ei debeatur, quia tamen sine eis solui non debet, liberatio non contingit. Liberat autem ex ordine, si soluatur id quod non debetur, sicut supra distinximus. fortè in quodam casu, sicut scribit os aureum, solutum quod est debitum, non adfert liberationem: ut puta si quando usufructu legato alias'ue constituto, actio personalis durat: ait ipse, quia in talibus uacuæ possessionis traditio nulla est: ut. C. de usufruct. l. corruptione. Liberat autem solutio ipso iure: excipitur ubi res tantum in adiecti persona designata, ei fuerat solu=

ta. tunc enim per exceptionem tantum libera-
tio competit: ut. ff. de uerb. oblig. l. ult. Accepti-
latione quoque, quæ est imaginaria solutio, tol-
litur obligatio: puta, si creditor debitorem pa-
tiatur sibi dicere talia uerba. habes'ne acceptũ
quod tibi debeo: & creditor respondeat, habeo,
acceptumque fero. sic equidem ipso iure tollitur
obligatio, si utilis fuerit acceptilatio: porrò in-
utilis inter socios pacti præbet exceptionem.
Tollitur autem acceptilatione sola stipulatio.
ergo si res consensu debeatur, nisi primum de-
ducatur in Aquiliam stipulationem, ut libera-
tio ipso iure contingat, accepto fieri non pote-
rit. Quæri potest, sit'ne acceptilatio stipulatio,
quia est interrogatio & responsio? minime. quia
non est de dando uel faciendo. Sanè si pactum
simplex est, nunquid nudum uel indutum? non
est indutum, quia obligationem non parit, &
quia caret uestimentis contractuum, quæ sunt
res, consensus, stipulatio, chirographum, supe-
rius à lege dicta in continenti in traditione. re-
linquitur ergo ut sit nudum pactum. Non enim
parit actionem, sed ipso iure liberationẽ, & de-
fensionem, quæ largo modo dici potest exce-
ptio. nam & ipse tuetur, qui soluit, uel qui usuce-
pit: ut. C. de iur. dot. l. in rebus. acceptilatio er-
go, & nudum pactum est: & nudũ, utpote qua-
dam uerborum solennitate uallatum. His acce-
dit quòd pacto, ne furti agatur, uel ne ex uendi-
to agatur, integrum ipso iure fertur remedium.
Itẽ tollitur obligatio nouatione: puta, si quod
tibi alius debebat, ab alio stipulatus fueris:
prior enim debitor liberabitur, ac sequens sub-
stituitur: hoc tamen ita, si stipuleris ab illo ma-
sculo maiori. Si enim stipuleris à seruo, qui in-
tercedens regulariter habetur pro nullo, prima
durat obligatio; si uero stipuleris nouandi ani-

mo à muliere,uel à pubere, debitor quidem meo iure liberatur. ſed quia mulier, per Velleianum: pubes, per reſtitutionem ſubducitur, in priorem debitorem uetus actio reſtituitur.ſecus ſi à pupillo ſine tutore ſtipuleris:tūc enim prior debitor liberatur, ſed pupillus ſine tutore non obligatur. ergo hæc ſtipulatio & utilis eſt,quia debitorem liberat: & inutilis, quia pupillum non obligat. Sed nō ita in muliere,ſicut dictum eſt. in muliere ſecus, quod tenet actio quod offenderit leuius, quia neſcit cuncta iura. Olim autem fiebat nouatio, ſi uel id ageretur. ſed hodie opus eſt, ut uel id exprimatur: alioquin ſtabunt prima, uel in incrementum accedunt poſteriora. Quod autem legitur, ita demum fieri nouationem, ſi quis ſtipuletur à debitore ſuo: ſi quis addidit, meo iudicio, maxime ſubaudiatur. Tollitur quoq; obligatio delegatione: ſoluit enim qui delegat reum,etiam idoneum, dele gabilem tamen. Tollitur confuſione, compenſatione quoque, rei quoque intuitu, in bonæ fidei poſſeſſore, & pacto ſimplici, ſicut ſuperius dictum eſt.Et pœna lege prodita eſt cōtra creditores, qui ex uoracitate improbos redemerunt ſuarum calumniarum exactores:ut.C.ne lice. potent.l.ult.Quæri poteſt,an turpis actio mortis cauſa, uel à minore inter uiuos cauſa;cur ipſa reſtitui debeat.

LIBER QVARTVS.

DE OBLIGATIONIBVS QVAE EX MALEFICIO DESCENDVNT.

TITV. I.



EXPOSITIS OBLIGAtionibus proficiscētibus ex contractibus, & quasi, nouum librū Iustinianus incipit de obligationibus, quæ nascunt ex maleficijs. Quia quatuor sunt maleficia, quæ actiones pariūt, furtum, rapina, damnū, iniuria: de his agamus, & primum de furtis. Furtum aliud regulare, aliud anomalum, aliud est quod seruus facit cum fugiendo seipsum furatur domino: idē enim est qui surripuit, & qui surripit. Item nec dominus propter tale furtum possessione priuatur. Regulare furtum, aliud laudabile, aliud reprobatum. Laudabile fuit furtū, quod Hebræi fecerunt Pharaoni. Sed & si susceptori ludentium eo tempore quo luditur, fiat furtum, remanet impunitum: ut. ff. de aleat. l. j. furtum reprobatum, aliud improbū, ut id quod clandestino fit alicui personę: aliud improbius, ut in rapina. Item licet furtum semper fiat rei, aliquando tamen fit intercipiēdæ rei: aliquando gratia usus: aliquando gratia possessionis. Item furtum aliquando onerat rem, nō personam, ut id quod facit filius patri: aliquando nō onerat, ut cum dominus surripit rem propriam. Item furtū quandoq; remanet impunitum propter personam, ut inter patrem & filiū regulariter. quandoq; propter rem, ut de re commodati, ut inter mercena-

rium & dominum. quandoque propter causam, ut si à commodatario commodator post usum perceptum, à uenditore rem uenditam emptor surripuit post pretium solutū. Item furtū quandoq; fit propter odium: ut. ff. de condic. cau. dat. l. cum seruus. quandoque fit propter libidinem, ut in ancilla non meretrice subtracta libidinis causa: ut. ff. eod. l. si pignore. quandoq; propter pecuniam, uel rem pecuniariam numeratam: & hoc fit duobus modis: aliàs, ut quis alienam pecuniam habeat: aliàs, ut suam non arceat. Item furtum aliquando fit alicuius totius corporis, & furti agitur ut totū dupletur, uel quadrupletur: ut si uas exportabile, animo intercipiendi fuit exportatum. quandoq; agitur in prædicto casu de parte duplanda: quandoque & quadruplanda, ut si frumenti sextarium tantum fur exportauit. Idem in lance rasa. quandoque si quid in totū subripitur, & tamen nec id, nec eius portio, pœnaliter restituitur, sed prorsus aliud: ut si equi sit factum furtum propter solum usum: tūc enim nec equus, nec equi portio duplatur, sed usus, qui nec pars equi est, nec equus. Ex his notabiliter notare expedit, quia quando quis furtum facit totius dolij, uel inuolucri, licet non sit animus totum intercipiendi: sed notabile est, quòd quando quis furtum facit in toto, non teneatur de toto. Respondeo hoc totum repetitur in lance rasa. item in equo propter usum furrepto, fur tenetur ad alium. Sed & filijs surripiens pater, licet fur sit, & furtum faciat, tenetur in nihilum. Item notandum est, quòd quandoq; quis nomine alicuius rei, cuius à nemine sit possessio apprehensa, furti conuenitur, si accipit, puta nomen in quo pecunia subtracta continebitur: ut ff. eod. l. si quis. Item, meo iudicio, si quis furtum ab alio factum, etiam suo nomine habet ratum,

non conuenietur: quippe nec ſicut adulterium, ita nec in negotiis, ſufficit negotium meo nomine geſtum eſſe, in eoq; ratum habere, ut ualeam conueniri. Ecce enim ſi quis fulſerit hæreditariam inſulam meo nomine, hæredemq; putans, ego nō conueniar, ſed uerus hæres, cuius re ipſa geſtum eſt negotium, & quoniam ſolum prorſus contingit negotium: ut.ff.de negot.geſt.l.ſi pupilli. Item notandum eſt, quòd nō ſolum fur, ſed & non fur, actione furti conuenitur, ut is qui opem tantum præbuit: multo fortius, ſi opem & conſilium: ſi uero conſilium tantum, diſtinguitur: ſi enim fur aliàs non erat ſubtracturus, conſultor tenebitur. Porrò actione legis Aquiliæ, & ſerui corrupti, ex conſilio quis conuenitur: licet aliàs ſeruus fuerat aſcenſurus, fugiturus´ue: ut infrà ad legem Aquiliam. nec enim laudando oportet augeri maliciam: ut.ff.de ſeruo corrupt. l.j. Harum uarietatum quæ ſit ratio, ſolicitus lector inquirat. Sanè quatuor modis dicitur conſilium. Ecce enim dicitur conſiliū modò intentio uel propoſitum: ut.ff.eo.l.ſi fur. dicitur conſilium, quod alii tribuitur bene male´ue perſuadendo, & impellendo ex motu proprio: ut.ff.eo. in furti. dicitur & conſilium quod cum multis capitur. dicitur conſilium per conſequentiam tantum, ut poſt opem præſtitam, licet nullū interceſſerit uerbum: ut.ff.eo.l.ſi pignore. &.ff.de uerbor.ſignif.l.ſæpe. Illud notandum eſt, quòd quandoque quis notetur furti, licet opem furto præſtiterit, ut rapinę. nam ſi rapinæ, ergo & furto. Item & econtra, ſi quis rapuerit filium alienum, etiam non ui bonorum raptorum, ſed furti tantum conuenietur: ut.ff.eod.l.ſi uendidero. Itē ex conſilio ſolo, ſicut dictum eſt, regulariter, nec furti, nec mandati agitur: ut.ff.de ſeruo corrupt. Item illud notandum eſt, quòd licet & iam non

nomine à se perpetrati furti, sed à coniuge commissi possit conueniri, iure tamen hæreditario, quandoq; etiam noxaliter conuenietur, sed infamabitur: ut.ff.eod.l.si quis. Nec obstat quod dicitur, præsidem efficere nō posse, ut damnatū furti non sequatur infamia: hoc enim in multis distinctionibus debet intelligi, hoc est si fuerit damnatus furti actione, non furtiua cōdictione. Item furti à se facti nomine, non noxaliter, non hæreditario iure, non operis nomine, non tutelę uel curæ nomine parabitur. Item illud notandū est, quòd furti agitur: puta, si quis uestimentum alij mala conscientia commodauerit, & uestimentum commodatario auferatur per furtum. Item in contractu simili existimo, ut in pignore commodato. Sanè licet aliàs quis propter rem quam fur surripuit, si eadem res postea surripiatur, furti non agat: tamen si res per furem subtracta sit: utpote homo subtrahatur, furti serui surrepti & surripientis nomine conueniet dominū: ut.ff.eod.l.inficiando. Item illud notandum est, quòd si fullo uestimētum per furtum amisit suo uitio, dominū ex locato agere uolentem mirabili æquitate poterit repellere: si domino uolēti furem persequi suis sumptibus, suoq; periculo, malit cedere actinnem furti: ut.ff.loca.l.cum in plures. idem existimo in cōtractibus alijs. Item notandum, si quis manumiserit, ne furti noxali cōueniatur, postea & manumissor & manumissus mero iure furti conuenitur, sed soluente altero, alter liberatur: ut.ff.eo.&.l.seruus. furti actio domino datur & denegatur. Item non domino datur, & denegat: ut furti depositarius agit, datur ipse debitori sit soluendo uel non: amiserit suo uitio, uel non: debito nondū soluto sibi, etiā quod ultra debitum percepit, restituit. in fullone prorsus aliud, quæcunq; sit ratio. Sanè si res

commodata surripitur, commodatario, si commodator uelit ipse solus, non commodatarius, furti agit. Cætera quæ desunt in summa Codicis plenissime licebit inuenire.

VI BONORVM RAPTORVM.
TITV. II.

VIs alia est compulsiua, alia est expulsiua, alia est inquietatiua, alia turbatiua, alia ablatiua. Prima, edictũ quod metus causa inducit. secunda, interdictum unde ui parit. tertia, uti possidetis. quarta, ius crediti * adimit, & actionem ui bonorum raptorum, de qua ad præsens agitur, parit. Item rapina triplex legit; nempe rapina rerũ mobilium, quæ fit dolo malo: & hæc est proprie rapina. Item immobilium inuasio rapina dicitur. Sed & cum quis quid sine dolo malo eripit, rapina perpetrata dicitur: ut in hoc titulo agitur. Hæc specialia admittit, quæ non dixi in summa Codicis. ui bonorũ raptorum actio seorsum datur ab actione furti. ui bonorum raptorũ actio nunquam datur raptori, sed furti datur, aliquando furi. Item de furto facto, alius quandoq; furti agit: de raptu ui bonorum raptor minime. Item filio rapto per uim, licet rapina committitur, quia filius nec in bonis est, non ui bonorum raptorum, sed furti forsassis experitur. Item, meo iudicio, licet raptum, etiam modicum, non tamen per furtum etiã magnum in credito admittitur. In summa notandũ est, quòd nomine damni dati coactis hominibus ui bonorum raptorũ competit, siue per cogentem, siue per coactos, siue per alium, qui coactis hominibus usus est, damnum fuerit datũ. datur, inquã, prædictis in cogentẽ. Sed & coacti fortè præterea tenebuntur. Amplius si turba alicubi fuerit, & à nemine coacta & alicuius eorũ

* Vide lector num forte legẽdum sit, admittit.

facto qui in turba fuerit, dolo malo damnũ fuerit datum, actione in factũ ab initio ex hoc edicto, & prӕter inficiationem agitur in duplum: ut ff. eo. l. ij. Cætera quæ desunt in summa Codicis lector studiosus inueniet.

DE LEGE AQVILIA.
TITV. III.

NOmine damni dati uel culpa leuissima, Aquilia competit: quia punitur à Deo omnis culpa, sicut & dolus in lege Cornelia: secus ibi est, nec lata culpa pro facto accipitur. Videamus itaque quid sit damnum, & unde dicatur, qualiter distinguatur damnum, & quę sit culpa, & qualiter distinguatur, cui competit actio legis Aquiliæ, & ex quibus capitibus, in quem, & in quantum, & qualis sit actio. Damnum est diminutio rei in rem. dictum autem damnum, à demo uel ab adimo. Datur autem damnũ tribus modis, ubi res perditur, ubi deterior efficitur, si aliàs quis damno afficiatur: puta, si seruus compeditus soluatur. Item datur damnum etiã per separationẽ, & per immixtionem. Item aliàs circa rem, aliàs circa speciem. Culpa est quod nõ est prouisum cum à diligentiori prouideri potuerit. Culpa aliàs præcedit, factum, aliàs deprehenditur in facto, aliàs subsequitur factum. His interuenientibus insurgit Aquilia, nisi quis damnum dederit permittente iure. Competit hec actio, damnum passo, & hæredi suo, ex duobus capitibus. Cauetur primo capite ubi quis occiderit seruum alienũ, uel pecudem gregatim pascentem, & tunc habetur ratio quãti fuerit in anno retro plurimi. Aestimatur autem plurimi homo, qui pro uero nũquam fuerit plurimi: puta, quis promisit Stichum decem millium, aut Pamphilum uiginti millium,

certe

certe si quis Stichum occiderit ad xx. mil. tenebitur, quoniã promissor necesse habet dare Pamphilum, qui est xx.mil. Tertio capite, quod tantum hodie est in usu, secundum nempe in desuetudinẽ abijt, cauetur de omni cætero damno dato, intercedente hominis aliquo facto: & habetur ratio retro plurimi intra mẽsem. ergo si retro fuit minoris, uel dũtaxat tanquam modo res est quæ læsa est. si fuit pluris quàm modo sit, tanti fiat æstimatio: sed si postea fiat maioris, nequaquam: quia lex Aquilia retrorsum, nõ in ante respicit. Porrò nomine damni dati, aliàs multipliciter agitur per actiones. ecce enim ui bonorum raptorum, & ex edicto, nautæ, caupones: & ex edicto, de incendio, ruina: sed & actionibus ex contractu, ut famil. ercifcundę, com. diuidundo, ut damnum farciatur, agitur. Sed ideo dixerim, intercedente facto, quia Aquilia proprie competit, si quid perperàm damnum dando committatur, non si omittatur, uel non fiat. ecce enim fructuarius Aquilia non conuenitur si non arat, nõ putat, non subserit, non fodit: ut. ff. de usufruct. l. si cuius, &. ff. locati. l. Labeo. Datur autem directa actio legis Aquiliæ domino, Lex eñ Aquilia dominum appellat. Porrò lex appellat etiam non dominum: quippe etiam nõ dominus, ut fructuarius, utili actione legis Aquiliæ agit, non tamen contrà: ut. ff. eo. l. sed & si. Datur Aquilia in eum qui damnum dedit, in eum quoq; qui iussit, si ius imperandi non habuit. in eum qui actionẽ præstitit. in eum quoq; cuius dolo malo damnũ datum sit. in hæredem minime, nisi post litẽ contestatam: uel nisi in id quod ad eum peruenit datur regulariter. Porrò istud simplum trahit secũ retro plurimi, sicut est dictum. Item in hoc simplo ducitur ratio causarum cohærentium, ut hæreditatis amissæ propter institutum seruum oc-

cisum. Item habetur ratio deprecationis: puta, si alter seruus ex duobus symphoniacis interfectus est. Item si præcessit inficiatio, & sequitur conuictio, non per quasi probationẽ, sed per plenam probationem, in duplum agitur: ita tamen si damnũ à quopiam sit datum: ut. ff. de iureiur. l. eum. Datur autem actio legis Aquiliæ directa domino, ut de corpore in corpus, subsidiaria in factum. de nõ corpore in corpus damnum dari, me legisse non memini. Ex prædictis colligere licet quòd utilis actio legis Aquiliæ, datur nõ domino, aliàs directa, alias utilis in factum. In summa sciẽdum est, quæri posse utrum'ne causæ corpori cohærentes, duplari debeãt in hac actione? sed & quæritur, fuerit constitutum rationem haberi retro plurimi intra mensem uel anni spatiũ. Illud constat, quòd actio ex maleficio est stricti iuris, perpetua, & semper pœnalis: quia mixta, licet non semper pœnam exigat. nã & homo semper est rationalis, licet non semper ratione utat.

DE INIVRIIS.
TITV. IIII.

DE iniurijs in hac summa me dicere utilissimum fore putaui. filiofamiliàs iniuriarũ ex lege Cornelia, non patri, sed filio dabitur, & patri tribuitur prætoria: ut. ff. eo. l. lex. Itẽ sciendum est, quod ex facto in seruo perpetrato, non ex edicto iniuriarum agitur: excipitur, nisi seruus carmine sit infamatus, uel nisi serui seruæ'ue pudicitia sit attenuata: ut. ff. eo. l. itẽ. Sed & sciendum quod dissimulatione intercedente, iniuriarum actio non nascitur, nataq; quasi per pactum tantum aboletur: ut. ff. eo. l. non solum. Itẽ sciẽdũ est, quòd qui iure publico utẽs, in causa dicit testem, & furem, & de furto condemnat, non conuenitur iniuriarum: ut. ff. eo. l. iniuria-

rum. Sed & si quis non patiatur honorem alicui decerni, iniuriarum non tenetur, sicut nec Aquilia, & qui aquarum ductus corrumpi patitur. Item & illud notabile est, quòd dicitur dominum serui facientis iniuriam absoluendum siue seruum noxæ dedat, uel ut uerberetur concedat: ff. eo. l. sed & si. Item sciendum est, quòd si liber homo pro fugitiuo apprehendatur, iniuriarum agitur: secus si quis percusserit hominem liberũ, quem putauit esse seruum suum, uel cum uellet percutere seruum suum. Sed si percutiar ab eo, cui ignotus sum, uel ab eo qui putat me Lucium cum sim Titius, etiam iniuriarum actione mihi tenetur: uoluit enim iniuriam facere alicui, licet non mihi. Sanè percussus ab eo qui uoluit percutere seruum proprium, Aquilia agit, quæ nõ exigit affectum, licet non iniuriarum. Illud quæri potest, an teneatur iniuriarum, qui filiumfamil. alienum liberauerit, si is illico postea'ue obierit. Sed & illud quæri potest, an quis ex eo quòd insidias alĳ posuerit, iniuriarum teneatur, cum insidiæ effectum non habuerunt. Item illud notandum existimo, quòd in causa iniuriarum iudex non erit ei, quem cognatione affinitate'ue attingit: ut. ff. eo. l. lex. Cætera quę desunt in summa Codicis diligens lector inuenire ualebit.

DE OBLIGATIONIBVS
Quæ quasi ex delicto nascuntur.
TITV. V.

Diximus de obligationibus quæ nascunt ex contractu, & quasi, & ex maleficio, uel quasi, nũc audiamus de illis quę oriũtur ex quasi delicto. Videamus itaq; quis dicatur quasi delinquere, & quę sint hę obligatiões,

Quasi delinquere quis dicit duobus modis: ecce enim is, qui perperam iudicat per imprudentiam, quasi delinquit. Itē is quasi delinquit, qui aliquatenus culpæ reus est, ex eo quod alius uerè delinquit: puta, deijciendo, effundendo, sicut ex sequentibus patebit. hæ sunt obligationes ex quasi delicto. Ecce si quis litem fecerit suam, distinguitur: dolo, an per imperitiā. si dolo, actio ex maleficio, item de dolo, uel in factum, insolidum conuenitur. si per imperitiam, actione in factum, in quantum de ea re uidebitur religioni iudicantis æquum: siue fuerit iudex ordinarius, pedaneus, delegatus, extraordinarius, is qui litem suam fecerit, nec refert paterfamil. fuerit, uel filiusfamil. ex delicto enim filij, uel quasi, pater nō conuenietur ab initio, sed duntaxat filio condēnato, & tunc de peculio, quod tunc erat cum sententiam dicebat. Porrò arbiter litem suam non facit, etiamsi cum iurasset, & male iudicauerit: sed si dolo malo, erit infamis: sed si errore, nihil ei uel partibus erit præter sacramentum, ut in authen. de iudi. §. quia uero. colla. sexta. Itē si quid deiectum fuerit, puta corpus solidum, & durum, effusum'ue, puta factum oleum, uel brodicauliū de cœnaculo in locum, unde publicè cōmeatur & nocuerit: actione in factum ex quasi delicto, contra habitatorem agitur, dominus sit domus, aut non. planè hospes non tenebitur, nisi ipse deiecerit. Sanè si liber homo perierit, quinquaginta aurei præstantur: & est hæc actio annua, nec hæredi, nec in hæredem datur. Si liber homo in aliqua parte corporis læsus fuerit, actione in factum ipse perpetuò agit, in quantum uidebitur iudici æquum, habenda ratione operarum, compendiorum. Porrò alij dabitur annua facta, nec hæredi, nec in hæredem dabitur. Si uero per id, quod deiectum fuerit, effusum'ue, in rebus dam-

num fuerit datum, ab initio agitur in duplum, in factum actione perpetua, quæ hæredi dabitur, sed non in hæredem. Hæ sunt tres in factum directæ actiones: nec distinguo, cœnaculum: ex quo quid fuerit deiectum, in altiori loco, uel in plano fuerit constitutum. Sanè si quid, cum suspenditur, ceciderit, & nocuerit utiliter in factū agitur, Idem si suspensum antea deciderit, & nocuerit. Idem si quid pendens effusum sit. Idem puto si quis ceciderit, & nocuerit, de subgrūda, de pergula, de meniano. Idem illud puto, quia si habitator deijciēdo damnū dederit, qui deiecit Aquilia, sed quia deiectum est, hoc edicto tenebitur. Sanè contra deijcientes experietur locati, & mādati: si fuerint liberi, uel cōducti. Item homo læsus experiri poterit & contra deijcientes, & contra habitatores: si tamen uno modo exegerit, per alium modum exigere nō ualebit. Item illud notandū est, quòd si plures in eodem cœnaculo habitent, nec sciri poterit quis, cuius'ue seruus deiecerit, omnes conueniri possunt, sed uno præstāte liberantur cæteri, agetq; qui præstitit, contra cæteros utili pro socio: ut. ff. eodem. l. iij. Prædictis actionibus etiam filiusfamil. cōuenitur, qui à patre seorsum habitauerit. Quid ergo si seruus non agit negocium, nec noxaliter conuenitur, quia non peperit delictum? Sanè seruus habitator extra ordinem coërcebitur: si tamen non per se, sed per seruiētem aliquem, cuius opera utitur deiectum fuerit, effusum'ue: ut. ff. eo. l. j. Item ex eo solo, quia id in subgrunda sit positum, quod sic adhęret, ut eius casus nocere posset, ad decem aureos in factum agit, contra habitatorem qui posuit. ergo ex superiori edicto agitur si nocitū sit, ex hoc si nocere possit. Datur autē hæc actio cuicunq;, si exegerit, postea & alij quicunq; exegit in infinitum: nisi tollatur quod perperàm est

positum. Datur autem hæc in factum actio contrá habitatorē, siue dominus sit domus, siue nō. datur autem, non dico contra eum qui habuit, sed contra eum qui habet positum. ergo si quis habet positum hoc edicto conuenietur. Et si posuit lex Aquilia post. damnum datum, si positū habet, & non posuit, tantum hoc edicto tenebitur. Item nauta, caupo, stabularius, de damno facto in naui, in caupona, in stabulo perpetrato, actione in factum ex quasi delicto in duplum tenebitur: ita tamen si alicuius eorum maleficio, quorum opera utitur, superiora contigerunt: & ita, siue receperint saluum fore expressim, uel tacitè, quod est si merces receperunt, uel si custodiam earum suo periculo fore prædixerunt. Sanè & ubi non receperunt in seruis proprijs si noxæ dantur parcitur. Porrò si prędicti receperint, saluum fore per se, uel per alium, breui longa'ue manu in naui, uel extra nauim assignatione rerum nominatim facta, aut non tenebuntur omnino, etiam de facto omnium, nisi fortè damno fatali uel ratali receptę mercedes perierint: ut. ff. eodem. l. prima.

DE ACTIONIBVS.

TITV. VI.

EXplicauimus de obligatiōibus: & quia ex his oriuntur actiones, tanquam filiæ ex matribus, audiamus de actionibus. Vel aliter, expediuimus de personis, & de rebus, relinquitur ut loquamur de actionibus. Memet meminisse iuuat me scripsisse in summa, quam Mantuæ composui, quòd actio nihil aliud sit quàm ratio, subijcitur ut fundetur petitio, probetur petitoris intentio. Meo autē iudicio nihil aliud erit ratio, quàm argumentum propriū quod allegetur, ut id quod petitur fiat. Ecce enim ab initio

quis dicit:redde cētū quę mihi debes,quia tibi credidi:certe sufficit istud ut reus condemnetur, nisi inficietur:tunc enim,nisi probauero, absolsuetur. uel nisi excipiat, uel quasi excipiat: tunc enim, si probauero, onus his in casibus ei incūsbit.ergo non absurdū dici potest quod actio sit argumentum. Actionū omnium aliæ sunt in personam,aliæ sunt mixtæ.In personam actio ea sola dicitur quæ tenet cōtrahentes,& quasi,& eosrum hæredes, & delinquentes. Excipitur, quod metus causa:hæc enim persequitur quēcūq; reasliter etiam bonæ fidei possessorē. Item ad exhisbendum,quæ personalis dicitur, sed improprie: contra enim pōssidentem competit. Item omnis noxalis actio caput sequitur, sicq; contra possisdentem intenditur:nec enim cōmodatarius nosxaliter conuenitur:ut.ff.de noxali.l.si seruus.Itē actio de tigno iniuncto, cōpetit contra eum qui bona fide habet iniunctū, & aliam specialitatē admittit:quia is qui iniunctū habet,etiam si nishil delinquit, pœnaliter cōuenitur. actio in rem ambulat,& rem persequitur,in distinguēdo operā: dūmodo possideat, & restituere ualeat. ergo quodāmodo omnis actio dirigitur in personā:licet enim alicubi legatur,quandoq; rem cōuenisri,nō personam,proprie tamen res nunquam cō uenitur,sed persona.Sanè sicut iam dictū est,illa sola actio personalis dicit̄,qua personaliter obsligamur.Item actio directa inuenitur, & utilis. Directa regulariter soli domino,cōpetit aliquādo tamen etiam non domino, ut per successionē & contra usucaptorem post usucapionem. Vtislis datur quandoq; ratione corporis, ut sit trina actio in rē,utilis,præiudicialis,rescissoria.Præsiudicialis,per quam quęritur;an aliquis sit liber ciuilis est,& legitima,causam habet,id est dominium dicit;sed dicitur in rem,quia ex uno latere

tantum certatur de dominio, uel quia cessat trina distinctio. Idem enim est quòd competit, & quod competitur: uel quod petitur, & à quo petitur. sed nec proprie suijpsius, uel membrorum suorum quis est dominus. Aliæ duæ etiã præiudiciales, & in remutiles sunt, & aliquando principaliter, & aliquando incidenter intenduntur, & trinam distinctionẽ non admittunt: sicut prædicta præiudicialis, quę est ciuilis. Sanè in eo differunt, quia prætoriæ sunt. Rescissoria datur reuerso, contra præsentem, & econtra. post usucapionem enim fingit non esse usucaptũ. Item Publiciana econtra fingit esse usucaptum quod nõ est. Quæri potest, an actor dicat ünum uerbum, uel saltem primum, uel neutrum: si utrunq; dicit duo contraria proponit, & pro se in primo uerbo loquitur, & in ultimo uerbo uelut contra se ratiocinatur. Item si tamen dicit se usucepisse, ergo dicit se dominum fore: ergo & directam sibi competere, & sic non publicianam. Aut si dixeris, quod ridiculum, utrũq;, eadem competit. ergo qui publicianam proponit, uerba prędicta non pronuntiabit, sed ita intendet, iudicio meo. Amice, res ista quam possides, est mea, ideo directè uendico, aut si mea non est, quia uendentis non fuit, quia bona fide emi, Publicianam intẽdo. Quare potius iuuabitur si mentitur, quàm si uerum loquitur. Insurgit instantia. Ad quid inuenta est lex Publiciana, qua actor dicat se usucepisse & cætera: Respondeo: litera meretrix est & occidit: qui habet aures audiendi audiat. Cõfessoria possessio quasi traditiõe uel patiẽtia, cõpetit ei cui seruitus debeť: ut. ff. si serui. uẽdi. l. j. ij. Cõpetit ergo tãtũ iuris possessori. Quid ergo si patiẽte dño soli hic ædificauerit: certè is cui seruitus debeť, possessor esse desinit, & sic amodo cõfessoria ei nõ cõpetit. Porrò dño soli facto iu-

ris possessori, negatoria cõpetere incipit:ut.ff.si seruit.uend.l.ij. nec enim ambæ in eadem persona competere possunt. Item nisi una competit, alia minime cuicunque competere poterit: sunt enim contrariæ siue cõtradictoriæ. Hæc ita exaudiri oportet, si quis uelit aliquid de his intelligere. Item Seruiana, & quasi Seruiana, utiles in rem actiones sunt. Sunt & aliæ plures innominatę in rem utiles, quas quis in summa quam feci Mantuę, poterit innenire. Personales actiones multæ sunt: ecce enim ex contractu emptionis, uenditionis, locati, cõducti, mandati, depositi, pro socio, ex stipulatu, condictio ex mutuo, & ex chirographo, & pro iure emphyteutico, & pro donatione, & oĩs condictio ut de æstimato, & permutato & quasi competit: ex do ut des, ex do ut facias, ex facio ut facias, commodati, pignoratitia, directæ utiles cõtrariæ. Ex quasi cõtractu sunt hæ, negotiorum gestorum actio, & tutelæ, directę cõtrariæ utiles. familiæ erciscundæ, communi diuidundo, finium regundorum, fortè & de tigno iniuncto ex testamento, condictio indebiti, funeraria, petitio hæreditatis, in factum, quorum bonorum, iudicati, præscriptis uerbis, de precario, de constituta pecunia, ex stipulatu pro dote nudo pacto promissa: nam cum hæc negotia contractus non sint, quasi contractus erunt. Ex maleficio sunt, furti, ui bonorum raptorum, lege Aquilia, unde ui, de dolo malo. Ex contractu quoq; quodammodo, id est ex facio ut des, de dolo nascitur mirabili quodã modo. In factum contra calumniatorem, cõtra albi corruptorem, contra in ius uocati exemptorem, contra uocantem sine uenia, cum deberet petere ueniam, contra iudicij mutandi causa alienatorem, cõtra publicanum iniquè extorquentem: fortè etiam condictio, quæ datur in plus petentẽ

nomine sportularum, & aliàs cōdictio, quæ datur in quadruplum cōtra tutorem amplius exigentem, erit ex maleficio. Item actio sepulchri uiolati, fortè etiam actio de pauperie, de rationibus distrahendis, & iudicium quod oritur ex edicto si quis ius dicenti nō obtemperauerit, & iudicium, quod datur in eum qui non accepit fideiussorem qualemqualem, cum sciret personarum necessitudinē: ut. ff. uocati in ius ut eant. Ex quasi delicto sunt hæ: ecce in perperàm & p errorem iudicatis, in perperàm positis, in deiectis, & effusis, uerè & interpretatione dāno subsecuto uel homine libero mortuo. Item sicut dictum est, contra nautam, cauponē, stabulariū, ex quasi delicto agitur: fortè & ædilitia actio, quæ datur in eum, qui in loco prohibito habuerit uerrem, aprum, si tamen nocuerit, ex quasi delicto. Quid ergo dicemus de actione redhibitoria, & quanto minoris? fortè ex quasi contractu sunt. Item quid dicemus de actionibus reuocatorijs? fortè ex quasi contractu sunt: quæ sunt hæ, Fauiana, Pauliana, in factum Caluisiana. Fauiana daē patrono, & creditori, & locatori, ad omnia reuocanda in fraudem suam alienata: Pauliana creditori, & curatori homini dato, & proprie tantū ad reuocanda corpora. In factum proprie competit ad reuocāda iura. Per has actiones id in totū reuocatur, quasi dos à patre in fraudem creditorum data sit. Caluisiana patrono datur hic dotem nō reuocat, nec quicquam aliud nisi in tertiam. Competunt hæ actiones, post bona possessa, uenditaq;, si non sufficiunt. Competūt contra acceptores non lucratiuos duntaxat, cōtra socios fraudisq; participes; contra lucratiuos, etiam in socios, contra alienatorem in uno solo casu dantur, puta ubi bona sunt disperdita, nec inueniri possunt: ut. ff. quę in frau. cred. l. ult.

Prætoriæ sunt hæ actiones & personales, sed ideo ponuntur inter tales: quia sicut per publicianam, & per rescissoriam, fingitur esse quod non est: ita per reuocatorias, fingitur retro alienata in bonis mansisse, tradita quoque quæ non sunt tradita. Item actionum omnium aliæ sunt persecutoriæ rei tantum, ut omnes ex cõtractu: excepta depositi. quandoque aliæ pœnæ tantum, ut actiones furti: aliæ utriusque, ut ui bonorũ raptorum, & lex Aquilia. Quæri potest an aliquæ ex maleficio sint rei tantũ persecutoriæ? & fortassis dici potest hoc de actione de dolo, & iniuriarũ, & de actione in factũ quæ competit quòd alienatum quid sit iudicij mutandi causa: ut. ff. eo. l. ult. Item actionũ aliæ sunt bonæ fidei, aliæ arbitrariæ, aliæ stricti iuris. Bonæ fidei sunt hæ: emptio, uenditio, locatio, & cõductio, negotiorum gestorum, tutelæ, mandati, depositi, pro socio, commodati, pignoratitia, familiæ erciscundæ, communi diuidundo, præscriptis uerbis de æstimato, præscriptis uerbis de permutato, forsassis præscriptis uerbis de precario, hereditatis petitio, ex stipulatu pro dote. Hæ nunquam arbitrariæ fuerũt uel sunt. Arbitrariæ sunt omnes actiones in rem, & quædam personales: ut quod metus causa, de dolo, redhibitoria, in factum, publiciana, fortè & finium regundorum, sed ex stipulatu post moram ratione loci, omnisque stricti iuris actio fit arbitraria. ergo ex stipulatu & stricti iuris regulariter, & bonæ fidei, licet iudici extendere naturam rei: in arbitraria, minime. Item in bonæ fidei & arbitraria, causaliter. In omnibus actionibus bonæ fidei iudicijs non interponitur arbitrium, id est primi iudicis interlocutoria, sed tantum definitiua. Porrò in arbitrarijs duæ sententiæ dantur. Cæteræ actiones sunt iuris stricti, siue stringentis, ut ex sti-

pulatu simplex omnis condictio, extra eam quæ datur nomine eius quod pro dote datur, cum dos non esse possit: ut.ff. de priuileg. credit.l.ij.omnis in factum, omnis præscriptis uerbis. Excipitur ea quæ datur de æstimato, & de permutato, & actio ex testamento, & omnis ex maleficio:excepta quoque actione quod metus causa, de dolo. Sanè in largissima appellatione omnes actiones possunt dici bonæ fidei & arbitrariæ. Quæri potest, quomodo actio tantũ pœnalis, ut furti, persequitur quod debetur, & licet pœna debeatur naturaliter tantum, uel ultrò, quomodo debeatur tamen ciuiliter & efficaciter: pœnas enim exolui magis ratio persuadet: ut.ff.de fideiussoribus.l.si à reo. Cætera quæ desunt, id est qualiter definitio actionis exponatur, & qualiter multiplex diuisio ex singulis uerbis sumatur, in summa, quam feci Mantuæ, plenissimè licebit inuenire.

QVOD CVM EO QVI IN ALIENA *potestate est, negotium gestum esse dicetur.* TITV. VII.

NOmine negotiorum gestorũ cum seruo, uel filio, tres actiones competunt insolidum. Quod iussu, exercitoria, institoria: de his dicamus primum. Tres sunt non insolidum: tributoria, de peculio, de in rem uerso: de his dicemus postmodum. Quod iussu competit, quando dominus cum seruo suo contrahi iussit, mandauerit, ratum habuerit, subscripsit, non fideiussit: ita tamen, si iussum ad cõtrahentem cũ seruo direxit: nec refert generaliter uel specialiter dominus iusserit, id est promiserit, mandati agi poterit. nam si quod iussu, & mandati, sed non conuertitur: quippe mandati agitur, & an

tequam mandatum perficiatur, & nomine negotiorum gestorum cum non filio, cum non seruo: quod iussu, minime. Competit quod iussu, contrahenti, & hæredi eius contra iubentem, & eius hæredem: competit in solidum, & perpetuò, & iure prætorio. Amplius directò per condictionem tantum iubẽs poterit conueniri. Exercitor is est, ad quem quotidianus nauis quæstus pertinet, dominus eius sit, conductorue domi maneat, aut nauiget. Magister dicitur cui totius nauis anchora mandata est. Competit ergo actio exercitoria contrahenti cum magistro nõ cum nauita contra exercitorem, sicut magistro præposito per magistrum domino patiente nec prohibente. Sanè si in causam à domino prohibitam contrahitur, quæcunq; sit uarietatis ratio, exercitoria non agitur: ut. ff. eod. l. j. Sed & is cum quo contrahitur, si fuerit liber homo, directa actione conuenitur: eadem utili, quæ uocatur exercitoria, conuenitur exercitor. his enim edictis actio non transfertur, sed adijcitur. Amplius, si duo sunt exercitores, & alter cum altero contraxerit, exercitoria competit. Item si dominus cum seruo suo contraxerit, quem ut magister esset, domino nauis accommodauerit, exercitoria agere poterit, licet emptio inter se & seruum ualere non soleat: ut. ff. de instito. l. sed & si. Idem erit, si dum alij seruiret, deiecerit, & dominum læserit, habitator enim ex quasi delicto conuenietur. Item si cum exercitore contraxerit, exercitor qui fortè idem ipsum magistrum etiam utili exercitoria poterit conuenire, quia exercitor uerum si semel præstiterit amplius nõ præstabit. Oportet autem eum qui credit pecuniam magistro esse curiosum, id est scire pecuniam fore naui necessariam, tantamq; pecuniã: uerum non oportet eum instare, ut pecunia cre-

dita expēdatur, in ea quæ sunt naui nautisq́ neceſſaria. Perpetua eſt hæc actio prætoria, perſecutoria rei, & in hæredem datur, & inſolidum. Eadem penè omnia intelligantur de inſtitoria: excipitur, quòd contrahēs cum inſtitore curioſior eſſe debet. Eſt autem inſtitor, qui alicui negotiationi præponitur, maxime extra nauem: puta en taberna, aut menſa. ſed & quandoq́ ſine loco quis præponitur, nō tantum ſeruus proprius, ſed & alienus: aliquis liber quoque homo, mas, fœmina, minor, pupillus etiam. Illud notādum, quod in hac actione, & ſuperiori maxime præpoſitio certam legem contrahentibus tribuit: quippe præ tabernæ foribus, literis omnis generis præpoſitionis forma, quandoq́ inſcribitur: ut. ff. eod. l. ſed & ſi. Hæ tres actiones expoſitæ, dantur inſolidum. Tributoria actio, ſic dicta quaſi diſtributoria, competit ei qui cōtraxit cum filio ſeruo'ue in peculiari merce domino ſciente & patiente. Datur contra dominum patremq́. Intelligitur autem merces peculiaris, & ſi nihil in peculio ſit, facta deductione, animo: ſanè ſi deductio re ipſa facta fuiſſet, nec tributoria competit: ut. ff. eod. l. j. Datur autem hæc actio hæredi, ſed mirabili quodam modo licèt naſcatur ex negotio nō datur in hæredem, niſi ad eum peruenerit: ut. ff. eod. l. illud. Vocatur dominus in tributum, id eſt in æqualem diſtributionem: in hac enim actione domini conditio non eſt præcipua: ut. ff. eod. l. procuratoris. & l. non. Datur autem ſi male tribuatur: ſed & ſi non tribuat. Minus enim tribuit, qui nihil tribuit: hoc ità niſi dominus pater'ue mercibus peculiaribus paratus ſit cedere: ut. ff. eo. l. illud. perpetua eſt, & prætoria, & rei perſecutoria. Actio de in rem uerſo ei datur directa, puta qui credidit filio ſeruo'ue uertenti in rem domini

patris'ue:ita tamen si duret uersum, id est si non sit reuersum. Fit autem ista reuersio tribus modis, puta si seruus domini debitor erat, cum uerteretur uel postea factus sit. Item erit si dominus soluerit. Idem erit si tantundē ei donauerit principaliter, non remunerando: ut. ff. eo. l. si pro patre. Ergo si frumentum ad alendam familiā emptum, in horreo dominico & hoc perijt, uel corruptum est, uel arsit, non ideo minus dominus de in rem uerso tenetur. debet autem creditor in hac actione curiosissimus esse, quò uertatur: ut ff. eod. l. quod si fortè. & de in rem uerso actio intenditur, nomine negotiorum gestorū cum homine libero etiam nō filio agente: ut. C. de procur. l. si pretium. datur hæc actio iure prætorio, perpetuò, etiam hæredi, & in hæredem. Actio de peculio datur ei, qui contraxit cum filio seruo'ue, non tantum prædictis modis, sed etiam quocūq; modo: excipitur, nisi seruus intercedat pro non creditore peculiari, uel se emi mandet: ut. ff. mand. l. cum seruus. uel nisi filiusfamil. nō miles acceperit pecuniam mutuam, uel colore quæsito in fraudem quippiā. De hac exceptione excipitur nisi sit scholaris, legatus'ue, institor, magister'ue nauis, uel nisi acceperit, & uertit, uel nisi pater ratum habuit, filio adhuc in potestate cōstituto, puta si soluere incipit, tenebitur postea insolidū: sed si pignus dederit, tenebitur duntaxat in quantum pignus ualuerit: ut. ff. ad Macedo. l. sed & si. Datur autem de peculio etiā si contrahit domino patre'ue ignorante & prohibente: ut. ff. eo. l. si quis in peculio. intelligitur esse deducto eo, quod debet domino, & his qui sunt sub domino: ex causa negotij & delicti, nō pœna: sed simplū, & nisi seruus læserit seipsum: ut. ff. eod. l. sed & si. si conueniatur dominus ex contractu ordinarij deducit de peculio uicarij.

Deducitur autem quod ordinarius debet uicario:nec enim tale debitum proprie uicario solui potest:ibi enim poneretur unde sumeretur:ut.ff. eod.l.si seruus. Perpetuò datur hæc actio seruo uiuente, non alienato, manumisso'ue, uel filio non emancipato, aliàs erit annua: ut. ff. quando de pecu. acti. l. illud. Sciendum est quòd prædicta nomina sunt appellatiua, & non sunt actionum nomina propria, ut rescissoria, restitutoria, arbitraria, noxalis, præiudicialis. Hoc quoque arguitur ex.l.j.quod cum eo. & quia legitur in hoc titulo quòd una est actio de peculio & de in rem uerso. Item illud sciendum est, quòd semper competit de peculio, ubi non competunt cæteræ, sed non cõuertitur. Electione tamen sese tollunt. Septima actio quæ uocatur in factum, prodita est nomine negotiorum gestorum tantum cum filiofamilias, sed datur in eum qui sui iuris factus est insolidum, si ex asse institutus est, si ex maxima parte, si mentitus est: aliàs conuenietur inquantum facere potest, puta si abstentus est, si ex modico institutus, si exhæredatus, si emancipatus: ut. ff. quod cum eo. Sanè si filiusfamiliàs fuerit, insolidum poterit condemnari.

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS. TITV. VIII.

EXposuimus suprà de actionibus competẽtibus nomine seruorũ contrahentium: nũc audiamus de noxalibus, quæ competunt nomine delinquẽtium seruorum: quippe ex delicto filij, nisi & ipse pater deliquerit, nulla actione pater conuenitur, nisi post condemnationem filij. Videamus itaq; unde dicantur noxales, & unde nascanť, uel quo iure proditæ sunt, & qualiter distinguantur, quibus, in quos, in quantum cõpetũt. Noxales dictæ sunt à noxa, uel à noxia, quod est

quod est maleficium, sed noxa est ipsum corpus quod nocuit: alterum tamen nomē ponitur pro altero. ex delictis nascūtur, legibus proditę sunt & edictis prætorum. Intenditur autem noxalis noxaliter tantum, ubi seruus deliquerit domino nesciente, uel sciente, & prohibere non ualente. Porrò noxalis intenditur insolidum si dominus mandauerit, uel non prohibuit cū prohibere potuerit: ut. ff. e. l. ij. & in his casibus noxaliter quā doq; agi potest sed una pœna exacta: altera, nisi amplior sit, tollitur. Sed & si damnificatus lite contestata pœnituerit, ad actionem noxalē, quæ non noxaliter, sed insolidum intenditur, conuolare poterit: ut. ff. eo. l. iij. Datur autem noxalis, ubi seruus alienus me læserit: sed extinguitur, si ante contestationem meus factus fuerit, sed nec si alienauero eum, actio instaurabitur. Nō enim extincta uiuificari potest, nisi causa mortis fuerit accepto latum, uel fraudis, transactionis'ue gratia. Porrò si seruus meus me læsit, quia nō est nata, non agam, etsi de potestate mea exierit. Sanè si hæreditatem iacentem, spe imminētis libertatis, seruus iussus esse liber, expilauerit, factus est seruus, & noxalis fit directa, puta si seruus eius domino nondum conuento, fiat liber: noxa enim, id est noxalis actio nondum contestata caput sequitur: ergo seruum manumissum qui nondum caput habet. Datur autē noxalis actio maleficium passo, & eius hæredi, contra dominum uerè & putatiuè, contra maleficium passo, & cōtra eum qui offert se liti, & contra eum qui negauit seruum esse suum. Sanè contra depositarium & commodatariū non datur: ut. ff. eo. l. si seruus. Porrò fructuarius & creditor, licet noxaliter cōueniri non possunt, quia domini opinione non possident, tamen tenētur ut defendant: alioquin creditori pignus ipso iure denegabitur, fructua-

rio usufructus per exceptionem: ut. ff.eodẽ.l. si noxale. In summa illud notandum est, quòd si quis uelit indefensum seruum relinquere, poterit à iudicio noxali se liberare: ut.ff.eo.l. non solum. Item si seruus, quem dolo possidere desijsti, decesserit priusquam hac actione conuenireris, liberaris: ut.ff.eo.l. electio. Multo fortius si sine dolo desijsti possidere. Item illud sciendum est, quòd si ex duobus dominis, altero iubente, seruus deliquit, & is, qui iussit cum expediret retinere seruum litis æstimationem præstitit, non litis æstimationis repetitionem, sed æstimationis serui tantum à socio consequetur: ut.ff.eo.l. si ex duobus. Item illud notandũ, quòd si seruus alienus deliquit, me non prohibente, & si prohibere potui, non tamen tenebor insolidum, eo postea deducto in dominiũ meum: ut.ff.eod.l.iiij. Istud constat, quòd in noxalibus, in obligatione est litis æstimatio, in solutione est noxæ deditio, quã diu tamen iudicatus actione iudicati conueniatur: ut.ff.de pet.hæredi.l.item ueniunt.&.ff.de re iudic.l.miles.

SI QVADRVPES PAVPERIEM *fecisse dicatur.* TITV. IX.

NOmine quoq; damni per animal brutum dati, noxalis actio datur, quæ de pauperie uocatur: nec enim proprie canis panẽ, catus lardum surripit. Videamus directa, utilis, in quantum, & qualis sit. Pauperies est damnũ sine iniuria facientis per brutum datũ. Tunc datur de pauperie directa, cũ quadrupes dãnũ dedit, & cõtra naturã, & si homo non sit in culpa, alia'ue quadrupes quæ concitauit: ut.ff.eo.l.j. ergo non semper agitur nomine quadrupedis, nec nomine omnis quadrupedis, ecce enim si ursus

fugit,& cum fugerit,uel post fugam consumma tā nocuit,nouus dominus non tenebitur,sed nec uetustior,etiāsi postea eū apprehenderit:nisi forte redierit,cū forte redire solitus fuerit.Fortassis domino possit imputari, si ursum male ligauit, tamen cōstat,quòd nomine feræ bestiæ utilis datur de pauperie.Sed ædilitia actio datur,si in loco ꝓhibito habitæ bestiæ,ob hoiem liberū occisum in cc.aureos si nocitum sit homini libero in quantū uidebitur iudici, nomine cæterarū rerū, quanti damnū datum sit in duplum:ut.ff.de ædili.edict.l.quā uulgo. Itē nomine redhibentis utilis datur: ut.ff.eo. Quid si animal, quod damnū dedit,decesserit ante lit.cōtestatam? naturaliter extinguitur actio, etiam ut mortuū animal peti non possit.Idem si post litem contestatam naturaliter perit, ita tamen si sine uitio possessoris. Idem puto si sit occisum ante acceptū iudicium porrò si sit occisum postea,dominus quadrupedis de arbitrio aut lege Aqlia aget: aut litis æstimatio præstāda est:ut.ff.eo. Datur hæc actio dānum passo,& hæredi suo,contra omnē qui possidet quadrupedem suo nomine: uel si desijt possidere,imò forte tunc artabitur insolidum,sicut is qui negauerit suam esse,si postea cōuincatur: ut ff.eo.l.j.Intenditur ut damnū sarciatur, & sicut forte in lege Aquilia habet ratio retro plurimi, & dupli ex inficiatione.Illud notandū est,quòd præter ædilitias actiones dicitur etiā de pauperie utilem dari: quoniā actiones pœnales, etiam ex eodē facto nascentes & concurrentes, sese nō consumunt. Distinguendum autem puto sic, si duæ pœnales oriantur ex diuersis factis, per omnes exigitur:si ex eodem facto,si primo exegeris per minorem,postea exegeris per ampliorem,& quod mea amplius interererit, si tibi cōpetit actio in rem, uel condictio furtiua , si fueris confes

cutus per unam,non cõsequeris per aliam: ut.ff. de furt.l. ei qui. In summa illud notandum est, quòd actiones sunt, & quæ sese consumunt exactione,sicut dictũ est,sed & electione,sicut furti,& mandati:ut.C.de furt.l.j.& de tribut. & de pecul.Sed & si res subtracta commodatario fuerit,& dominus sciens rem esse subreptam, furti intendet quẽcunq; exitum reportauerit, postea commodati intentabit.Idẽ etiam econtra.Illud cõstat quòd hæc actio ciuilis est,personalis, perpetua,arbitraria.

DE HIS PER QVOS *agere possumus.*

TITV. X.

AVdiuimus de actionibus, nũc audiamus de agentibus. olim quis alieno nomine agere non poterat,nisi in quinq; casibus, pro populo,pro libertate,pro tutela, pro absente,causa reipub. pro captiuis. Porrò hodie causam quis criminalem non mouebit,nisi in causa iniuriarum,si sit illustris.Sanè ciuilẽ causam regulariter per te,& per alium uentilabis,at quin per te tantum interdictum de liberis exhibendis mouebis,ciuilem causam si fueris illustris: ut.ff. de procurat.l.per procuratorem.

DE SATISDATIONE.

TITV. XI.

COnuentus personaliter,& realiter, nomine proprio,non cauebit hodie nisi sisti iudicio.Sed differunt & ualent pro qualitate personæ. Conuentus nomine alieno, satisdabit de iudicato soluendo,nisi dominus cum hypotheca suarũ rerũ satisdederit pro eo alius'ue. Conueniens quoq; nomine alieno, si dubitabit

de mandato, repellitur, nisi domini arbitrio procurator cauerit dominum habiturum ratum, uel nisi probetur fuisse mandatum. Si constat de mãdato, admittitur sine cautione de rato, dum tamen ex ordine caueat de defendendo. Si constat cessare mandatum, repellitur, etiamsi uelit caue re de rato: is enim admittitur, nisi constet quod contra uoluntatẽ domini experiretur. ita tamen is admittitur, si caueat de rato & defendendo. Quid ergo si quis uelit agere nomine suo? nullã satisdationem pro litis æstimatione dare compellitur, sed pro sua tantum persona, quòd in iudicio permaneat usque ad terminum litis. uel cõmittitur suæ promissioni cũ iureiurando, quam iuratoriam cautionem uocant, uel nudam promissionem, uel satisdationem, pro qualitate personæ suæ dare compellitur.

DE PERPETVIS ET TEMPOralibus actionibus, & quæ ad hæredes transeunt.

TITV. XXII.

DIsseruimus suprà de actionum uarietate: nunc de illarum audiamus transmutatióne, siue durabilitate, & transeant, aut nõ ad hæredes, uel in hæredes. ergo ut plenius hæc sciri ualeant, ita distinguimus. Actionum aliæ sunt ciuiles, aliæ prætoriæ, aliæ quasi prætoriæ, aliæ quasi ciuiles. Ciuiles sunt aliæ personales, aliæ reales. Personales omnes sunt perpetuæ: excepta actione unica, id est iniuriarũ ex lege Cornelia: quæ & ipsa, sicut & Prætoria meo iudició est annua. Reales, & ciuiles, & prætoriæ, uarijs temporibus sopiuntur, non moriuntur, elidũtur non tolluntur: nec enim tempus actiones extinguit. Nec obstat quod triennio, utpote domino absente, perimitur uenditio: hoc enim non con-

tingit temporis merito, sed usucapionis beneficio. Aut fortè ideo hoc dicitur, quia in rem actio ex obligatione non nascitur. Excluduntur autē actiones in rem, aliæ triennio, aliæ utili anno, ut rescissoria: aliæ x. annis xx. & xxx. & xl. & centum, ut ea quæ competit Romanæ ecclesiæ. Prætoriarum personaliū, aliꝗ sunt pœnales tantum, omnes sunt annuæ, excepta actione furti manifesti. Mixtæ annuæ sunt quo ad pœnā: & ꝑpetuæ, quo ad rē rei ꝑsecutoriæ ꝑpetuæ sunt. Excipitur actio quod metus causa, quæ intēditur cōtra bonorū possessorē, & iniuriarū, & de dolo biennalis, & in factū prodita, ob alienationē celebratā causa mutādi iudicij, & actio de libero hoīe occiso, & quæ reuocat ab ingrato, & quæ punit libertū, uel filiū emancipatū, uocantē patronū cōtra edictū, parentéq́, & quę punit uiolatores sepulchri similiter nō datur hæredi. In heredes nō transeunt, nisi in eo, quod ad hæredes peruenerit uel post contestationē, uel post factā per libellū conuentionem: ut. ff. de actionibus. l. constitutionibus. Quid dicemus quòd Impator dicit actionem ex contractu, aliquando non dari cōtra hæredem talem & tantam, qualis & quanta cōtra decessorē ex decessiōis dolo: secus si ex dolo proprio. tunc enim hæres tenebitur in duplū. Idem dici potest & in quadā actione ex quasi contractu, ut tutelæ. Licet enim tutor arguatur, etiā de leui culpa tenetur. Amplius possumus diuinare etiam quasdam actiones ex contractu inueniri, quæ etiam nullo modo intenduntur in hæredē, puta sicut est in actione in factum, quæ redditur contra mensorem agri, præscriptis uerbis de precario: ut. ff. de tribu. l. illud. &. ff. de preca. l. duo. Amplius si is, cum quo iniuriarum agere uolebam, ante litem contra se contestatā decesserit, alius quidem, qui promiserat illum iudicio sisti,

non poterit conueniri:nisi forte defunctus,ut nõ conueniretur,in mora fuit,longiusq́ tempus effluxerit:ut.ff.si quis caut.l.si eum.Ex his intelligere licet,quia in hac cautione actio ex stipulatu,quæ est ex contractu,quia talis est,& quæ ob iniuriam datur,in hæredem non intenditur.

DE EXCEPTIONIBVS. TITV. XIII.

EXplicauimus de actionibus quibus armãtur & accinguntur actores tanquã gladijs: nunc audiamus de exceptionibus, quibus defenduntur rei tanquam clypeis. Nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, siue sit reus principalis,siue sit intercessor.nam & fideiussores inuitis reis exceptionem obijciunt: ut.ff.eo. Item illud sciendum est,quoniam non numeratæ pecuniæ exceptio, dupliciter irregularis est, tum quia licet excipiat, nõ probat,tum quia nõ est perpetua,& peremptoria,nec temporalis, & dilatoria,imò de utroque accipit: est enim temporalis & peremptoria. Item & illud notãdum est,quia licet olim,hodie tamen propter infantiam dantis,uel procuratoris,institutus procurator non repellitur.Ergo,quod.ff. de postulando,legitur,correctum dicatur, uel melius est,ibi de illis qui postulant tanquam aduocati, hic cauetur de procuratoribus.

DE REPLICATIONIBVS. TITV. XIIII.

REplicatio est secunda exceptio, hoc est exceptionis exceptio. Exceptio prima quæ stat in nomine gñali redditur reo,replicatio indulgetur actori.Sed & postea reus aliquãdo duplicare poterit.Itẽ actor quandoq; triplicabit & sic deinceps: qppe allegationes priores primafacie, id est de rigore tenẽt; secunda facie,

id est de æquitate non tenent. In summa sciendũ est, quòd oĩs exceptio, ergo & replicatio, exclusoria est. Cætera quæ desunt de exceptiõe, deq; replicatiõe, in summa Codicis poterũt inueniri.

DE INTERDICTIS.
TITV. XV.

IN hoc titulo illud notandum, & exponẽdum puto, quod in.ff. legitur, quòd interdicta quædam ueluti proprietatis causam habere dicũtur, ut interdicta de liberis exhibendis, ne quid fiat in locis sacris, uel religiosis. Prædictorũ in quã nec possessio nostra, nec proprietas, & hac ratione considerata, interdicta superiora nõ possunt dici propriè magis continere causam ꝓprietatis quàm possessio. Porrò ideo dicitur continere causam proprietatis; quia sicut qui uendicat, necesse habet probare proprietatẽ esse suam, ita is qui superiora interdicta intendit, si uertitur in dubiũ, necesse habet probare locũ esse sacrũ uel ad se iure religionis pertinere, & filiũ esse suũ. In summa illud sciẽdũ est, quòd quæcũq; sit uarietatis ratio, interdictũ unde ui debeatur inuasori, licet actio ui bonorũ raptorũ non cõpetat raptori. Cætera quæ desunt de interdictis, etiã in titulo interdictorũ, in summa Codicis, & in aliјs specialibus titulis Codicis, copiosissimè, licet sparsim & uariè, studiosus lector poterit inuenire.

DE POENA TEMERE LITIGANTIVM.
TITV. XVI.

SIcut accusatores qui malignãtur, tribus modis malignãtur, id est calũniantur, præuaricãtur, ita illi, qui ciuiliter litigãt, tribus modis coërcentur metu sacramenti, infamiæ, pœnæ pecuniariæ. Ecce enim & actor, & reus: nisi sit minor, uel filiusfamiliàs, fortè de calumnia iurant, & de expressis, & sibi debere, uel se non

debere, sed actor sacramentum præbet, quod uocatur in litem, cognati quoq; iurare debent. Infamantur pacti de crimine numerantes, uel numeraturi primo motu non iudicis iussu, ne conueniantur fortè, & in iure confessi infamantur. Item condemnati criminaliter, siue ciuiliter de crimine priuato, & extraordinario, puta stellionatu: at. ff. de infa. l. quid ergo. De contractibus non pacti, nec falsi, sed damnati nomine suo, & per iudicem, & directò infamantur, non actione contraria, nisi unica, id est mandati, & tantum in casu fideiussionis: ut. ff. de his qui notan. infam. l. furti. Condemnati actionibus tantum bonæ fidei, ut pro socio, depositi, mandati, tutelæ, fortè & utili negotiorum gestorum nomine curę, non omnibus tamen bonæ fidei, quia non empti, uenditi, locati, conducti, familiæ erciscundæ, communi diuidundo. Ergo nulla ex contractu actio iuris stricti infamat. ergo nulla condictio, nec etiam furtiua. Punitur peculiariter litigator ob inficiationē, puta: in lege Aquilia, in legato pietatis. Item si possessor actione in rem conuentus conuincatur, qui negauit se possidere, uel seruum suum fore uel equum, quorum nomine noxaliter conueniebatur. Idem si chirographum abnegauit. Idem si prior creditor conuentus à posteriori, dixerit eius non esse hypothecam, à quo habuerit. Idem si quis conuentus de indebito negauit se accepisse: ut. ff. de rei uendic. l. ulti. & de noxali. l. quoties. & ff. de paupe. & C. de non nume. pecu. authen. contra qui propriam. & C. qui pot. in pig. authen. item possessor. ff. de probat. l. cum de indebito. Item liberti & emancipati suos beneficos temere uocantes nomine suo in ius, licet nondum litigent, in qurnquaginta aureos puniuntur, si tamen uocati inuiti ueniunt.

DE OFFICIO IVDICIS. TIT V. XVII.

SVpra de officio actionis: nunc loquamur de officio iudicis. Iudex sedendo debet utranq; partem sepius interrogare, & aliquãdo supplere, & absentem citare, uel requirere præsente utraq; parte, in quacunq; parte triennij poterit sententiare, similiter pro absente contra absentem. Sanè cõtra absentem non nisi in fine triennij, uereor tamen ne hoc corrigatur per authen. qui semel actionem proponit. Sententiabit autem iudex in certam pecuniam, uel rem: nisi noxaliter agatur, uel aliàs disiunctiuè, & scriptis, & ore proprio, & regulariter, & non contra leges: nam nec arbiter id potest. Pronunciare autem potest & secundum mores, dum tamen non resistant leges: exemplis, minime: nisi Imperator, uel nisi olim perpetuò, non immemorabiliter ita sit iudicatum. Finium regundorum iudicio addictus, fines dirigere debet ita, ut etiam de alterius agro aliqd alterius possit fundo adiudicare: nempe minus malum debemus eligere ut uitemus maius. Sed & quod est iustũ immutatur, per id quod est iustius: ut. C. de procurat. l. exigendi. Illud notandum, quia licet iudicis officium uelut actio afferat auxilium, non tamen est actio: uerum & iudicis officium, quo tenemur legis tanquam actio est: ut. ff. de procurat. l. ulti. Item illud notandum est, quòd ubicunque intenditur actio, puta quia spontanea non celebrãt solutio, opus est officio iudicis. Porrò officio solo utimur, ut cum usuras petimus, ut in iudicijs bonæ fidei, fructusq; perceptos à bonæ fidei possessore. Qualiter iudex debeat officium suum interponere in singulis iudicijs, omitto: quippe hæc ex singulis titulis ex summa Codicis diligens lector colligere poterit.

DE PVBLICIS IVDICIIS. TITV. XVIII.

SVprà de iudicijs ciuilibus: nũc de publicis, id est de criminalibus, sic enim aliquando hoc nomen publicũ ponitur: ut. ff. de iniur. quod aliàs aliter. Audiuimus suprà de criminibus priuatis, nunc de publicis. Quippe crimina aliàs priuata, ut furtum: aliàs extraordinaria, ut stellionatus: aliàs publica, ut homicidium. De omni crimine, & de priuato, & de extraordinario, si criminaliter agitur, debet inscribi: ut. ff. de priuat. delict. l. ult. Hæc admittẽtibus pœnæ extraordinariæ infliguntur: ergo & iudiciũ distinguere ita possumus: aliud est ciuile, aliud criminale. Ciuile aliud pecuniariũ, aliud non. Pecuniariũ aliàs de pecunia, ut actio de mutuo: aliàs propter pecuniã instituitur, ut iudiciũ quod est pœna tantũ, ut furti: non pecuniariũ, ut de statu. Criminale, aliàs priuatis criminibus, aliàs extra ordinarijs, aliàs publicis criminibus instituitur. Publica crimina puniũtur ꝑ leges etiã extraordinarias, quæ sunt hæ: Lex Iulia maiestatis, lex Iulia de adulterijs & stupro, lex Iulia de ĩgenua stuprata, lex Iulia peculatus, lex Iulia repetundarum, lex Iulia de ambitu, lex Iulia de annona, lex Iulia de sacris & residuis, Cornelia de sicarijs, Cornelia de ueneficijs, Cornelia de falsis: Põpeia de parricidis: Fauia de plagiarijs. fortè & lex agraria. Q̃uo aũt hæc iudicia debeãt institui, & termĩari, & quẽadmodũ criminosi debeãt puniri, summa Noni Codicis, quã apud Montẽ Pesulanũ ꝓmulgaui, euidẽter insinuat. In summa illud notandũ censui, ꝙ in iudicijs criminalibus, meo iudicio, de calumnia iurari nõ debet.

FINIS *quarti & ultimi libri Institutionum.*

PLACENTINI
DE RERVM VENDICATIONIBVS, LIBER PRIMVS.

DE DEFINITIONE ACTIONIS. TITV. I.



ACTIO NIHIL ALIVD est, quàm ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur. Et notandum est, quòd singula uerba in hac definitione posita, pondus habēt. Siquidem actio nihil aliud est hodie, quàm olim fuerat. Quippe olim erat actio solennium uerborum & præscriptionum formata conceptio, à collegio pontificum impetrata, id est magistratuum uel senatorum. Ideoq; omnes actiones quondam præscriptis uerbis, id est solenniter conceptis atque formatis impetrabantur, & impetratæ intendebantur, adeoq; omnia solenniter procedebāt, prout Cicero testatur in rhetoricis: si qs à syllaba caderet, causam amitteret. At enim sublatis solēnibus & ab aula dimissis, iurisq; formulis radicitus excisis, & aucupationibus syllabarum per Constantinum principem penitus amputatis, actionibus postmodum non tamen omnibus nomina certa sunt posita. Nempe plura sunt negotia quàm uocabula, & plures sunt actiones quàm earū nomina: quæ cum deficiunt, aliàs cōfugitur ad actionem de dolo, aliàs ad cōdictionem ex lege, aliàs ad actionem in factum, aliàs ad actionem præ-

ſcriptis uerbis. De dolo tunc agitur cum dolus in contractu, uel extra, admittitur. nec alia uia agendi uel excipiendi ſubpetit:ut.ff.de dolo.l.j. Sed & tunc demum cum in ſpeciale nomen maleficij non cadit. Nempe ſicut ſe habet in criminalibus ſtellionatus criminatio, ſic & ſe habet in ciuilibus de dolo actio: ut.ff.de cri.ſtell.l.iij. §.item ſi quis. In ſpeciale nomen maleficij non cadere id intelligo, quod non coërcetur lege aliqua certa. ſed nec & eius ſententia. Nam & de ſeruo compedito ſoluto, licet non agatur Aquilia lege, ex directis uerbis legis Aquiliæ, ex interpretatione tamen agitur actione in factum in defectum legis Aquiliæ, ſiue in ſubſidium ſubrogata: ut inſtitu.de lege Aquilia.§.ulti.Sed neabhorreat quòd dixerim, nomine maleficij in contractu admiſſi, actione de dolo agi. Nam cũ contractui dolus cauſam dederit, non actione ex contractu, ſed de dolo agitͣ, ſi traditio ſequatur. Quippe contractus eſt nullus dolo initus: ut ff.de dolo. l.eleganter. primo reſponſo. præſertim ſi ſit bonæ fidei, tunc enim nec actio oritur. Si uero ſit ſtricti iuris, actio quidẽ naſcitur, ſed exceptione perimitur: ut.ff.de uerb.obligat. l.ſi quis cum.&.C.de inutili ſtipu.l.penult. Ex dolo autem qui admittitur extra contractum, quin de dolo competat actio, nemini uenit in dubiũ. Ecce enim ſi permiſiſti mihi ut in fundo tuo ſererem, fructusq́ colligerem, nec tollere me patiaris, ciuilis actio non naſcitur, nec competit, ſed de dolo extrinſecus à Prætore tribuitur: ut ff.de præſcriptis uerb. l.permiſiſti.§. permiſiſti. Condictio ex lege tunc intenditur cum lege aliqua noua obligatio inducitur, nec tamen quo genere actionis agi debeat, ea lege cauetur: ut.ff. de condi.ex lege. Ecce enim donator etiam citra ſtipulationis uinculũ ex nudo duntaxat pacto

cōdictione ex lege noua Iustiniani:ut.C.de donat.l.si quis.ij.§.sin autem hoc ad tradendū cōpellitur. In factum actio subsidiaria, utpote cuius tenor in multis ac uarijs iuris articulis proditus est: ut.C.de sacrosanc. eccle.l.sancimus.j. tunc intēditur, cum alia actio deficit, æquitasq́ suadet actionem dari, nulla tamē lege actionem dandā esse nominatim exprimit. Quoties enim deficit actio uel exceptio, utilis actio uel exceptio, id est in factum competit: ut.ff.de interro: act.l.qui seruum. Et sciendum est, quòd in factū actio tunc proprie datur, cum ex maleficio uel quasi agitur, ut si quid effusum deiectum'ue est, uel perperàm per imprudentiam iudicatū. In ijs enim casibus nulla ex nomine prodita actio nascitur, sed nec ex lege cōdictio, seu de dolo præscriptis uerbis actio. Cum itaq; cæteræ actiones deficiūt & necesse est aliquam competere, in defectum non immeritò decurritur ad actionem in factū: ut.ff.de præscrip.uer.l.quia.&.l.quoties. Ecce enim si decem numismata fuerint sub conditione legata Titio, & eorundem ususfructus purè Pamphilo, hæresq́ illa numismata, nō exacta cautione Pamphilo præstiterit, Titio post conditionis euentum, per actionem in factū succurretur aduersus fructuarium. hoc tamen ita, si nec legatarius stipulatus fuerit, nec hæres dolo malo in exigenda cautione cessauerit: ut. ff. ad exhib.l.Iulianus.§. si tibi decem. Condictio ex lege, in præfatis tribus casibus, id est ubi quid deiectum, effusum'ue est, uel perperàm iudicatum, ideo non datur, quia nulla noua lege obligatio noua inducitur, sed uetus, & iure gentium parta à Prætore formatur, sed nec de dolo actio competit. Ecce enim ubi quid deiectum est, nec aduersus eum qui deiecerit, utpote cum alio iure, id est lege Aquilia teneatur, de dolo actio da-

tur:sed nec aduersus eum ex cuius domo deiectū fuerit, cum nequaquam dolum admiserit, sanè quia aliquatenus culpæ reus est, eo quòd opera malorum hominū utitur, actione in factum tenetur: ut.ff.nau.cau.stab.l.ult.§.hac actione. & institu. de ob.quæ ex quasi delic.§.itē exercitor. In effusis & perperàm iudicatis eadem ratio est, eadē ergo censura. Illud autem certissimum est, quòd in prædictis tribus casibus, & similibus præscriptis uerbis actio cessat, eo quia ex contractibus duntaxat innominatis,& ex quasi cōtractibus, & ex pactis in continenti in contractibus adhibitis,præscriptis uerbis datur: ut.ff. de præscrip.uerb.l.ij.Et hoc tam in iudicijs stricti iuris quàm bonæ fidei:ut.C.de pact.l.in bonæ fidei.&.ff.de pact.l.iurisgentiū.&.ff.de contrahen.empt.l.pacta cōuenta.Et in iudicijs stricti iuris:ut.ff.de pact. l.rescriptum.§.ult. cum.l. sequenti.ff.si cer.pet.l.lecta.C.de dona.l.legem. Istis itaq; legibus euidenter ostenditur,pacta in continenti adhibita,tam in contractibus stricti iuris quàm bonæ fidei,& ueterem secundū qualitatem negotij actionem informare, & nouam præscriptis uerbis actionem parere.Quippe donationis species, cuius meminimus, sicut nec stipulatio in bonæ fidei contractibus non reputatur: ut.ff.de donat.l.eum qui. Præscriptis autem uerbis actio,sicut & superius dictum est, & ex contractibus innominatis oritur, puta ex do ut des,ex do ut facias,ex facio ut facias: ut.ff.de præscript.uerb.l.naturalis.Ex quarto autem articulo, quod est facio ut des, actio de dolo datur: secus tamen casualiter reperitur: ut. C. de transactionib.l.cum mota. De his tamen actionibus, id est in factum & præscriptis uerbis latius dicetur inferius.Sequitur:Actio nihil aliud est quàm ius &c. Ius,id est quædam iuris ratio,

siue forma qua edita species futuræ litis demõstratur:ut.C.de eden.l.edita.& per quam actionẽ lis omnis initiatur. Nam & Paulus actionem hypothecariam nominat uulgarem formulam: ut.ff.de furt.l.si seruus. Aliàs autem iuris nomine significatur constitutio, siue censura hominum, id est ius ciuile uel gentium uel naturæ, id est ius naturale. Sed & ius dicitur quod prætor iniquè decernit, habita relatione nõ ad id quod fit à prætore, sed ad id quod fieri debet. Ius quoque dictum est ius necessitudinis, id est sanguinis. sed & locum, in quo ius redditur, ius appellamus:ut.ff.de iustit.& iur.l.penult. & ult.&.ff. de inter.act.l.iiij.§.quod ait prætor. Ius quoque appellatur cibus delicatior. Et sciendũ est, quia per hoc quod actio ius est, differt ab eo, quod in facto consistit, sicut uenditio, traditio, solutio. hæc enim nomina facti designatiua sunt, & non iuris:ut.ff.de curat.furio.l.consilio.§.quęsitum. Adijcitur persequendi, ad differentiam exceptionis, quæ est ius excipiẽdi uel retinendi. Persequendi autem uerbo, & agendi & petẽdi uerbum intelligitur. Quippe actionis uerbo continentur in rem, in personã, directa, utilis, præiudicialis. Stipulationes quoq; prætoriæ, quæ ad instar actionũ habentur, sed & interdicta, actionis uerbo clauduntur:ut.ff.de act.& ob.l.actionis. Propriè tamen actio uocatur quæ in personam infert, petitio in rem, persecutio in rem uel in personam rei persequendę gratia:ut.ff.de act. & oblig.l.actio.&.ff.de uerb.signifi.l.pecuniæ. Sequitur persequẽdi iudicio, id est iudiciali cõflictu, siue contentiosa iurisditione, quæ expędítur in iudicio, ad differentiam uoluntariæ iurisdítionis, quæ peragitur in consilio, qualis est manumissio, emancipatio, adoptio. Aliàs autem iudicij nomẽ pro intellectu siue discretione ponitur, ut

nitur,ut Insti.quib.nō est permis.face.test.§.praeterea. Actio quoq; omnis iudiciū appellatur,ut C.fami. ercis.l.j.ff. de mino.l. in causæ. &.ff. de iud.l.si longius.§. si filiusfamilias. Sed & causæ exercitium dicitur iudicium:ut.C.de procura.l. licet.&.C.de iudi.l.j. Iudicis quoq; sententia iudicium nuncupatur.Et notandū quòd actio,per iudicij uerbum in sui definitiōe positum, differt ab his causis,quibus quid persequimur, non nostro iure,sed per iudicis officium,ut in restitutionibus à bonę fidei possessoribus perceptis,quas cum uendicantes uincimus,per iudicis officium nobis restitui postulamus:ut.C.de rei uē.l.si fundum.&.l.certum. Sed & per iudicij uerbū secernitur actio, ab eo iure quod omnibus communiter est indultum, puta ut cuiq; liceat impunè eū occidere,qui nocturnus ad agros populator intrauit,aut itinera frequentata insidijs aggressionis obsederit. Quippe nemo debet parcere militi,cui obuiare oporteat ut latroni:ut.C. quan. lic.uni.se uin.l.j. Adnectitur quod sibi debetur. debitum autem intelligo siue ciuiliter tantum, ut per chirographum spe numerationis factum, siue ciuiliter & naturaliter,ut per mutuū.Id autem quod naturaliter tantum debetur, id est,per nudū pactum,actione nec petitur,nec repetitur. Nempe ex nudo pacto actio non oritur:ut.C.de pact.l.legem.&.C.loca.l.si tibi.Interdum tamē & quod nudo pacto promissum est,petitur,ut in constituta dote & donatione: sed & si solutum fuerit,à minore puta,aliquādo non repetitur: ut ff.de condi.indeb.l.interdum.Sed & mulier,quę intercessit, licet naturaliter debuerit, si soluerit,repetit:ut.ff.de condi.inde.l. qui exceptionē. Sed & hoc uerbum,quod sibi debetur,omnē omnino actionem comprehendere intelligitur, siue ciuilis,siue honoraria, siue fideicommissi fuerit

persecutio:ut.ff. de uerb.sig.l. pecuniæ uerbum. Et sciendum est,quia licet contractus penè omnes sint naturales, id est à iure gentium introducti,ut Insti.de re.diui. actiones tamen omnes, id est agendi formulas ius ciuile induxit atque prætorium,quod est uiua uox & portio iuris ciuilis. Sanè quodam in loco iuris, habetur mentio naturalis actionis:ut.ff.de fideiuſ.l.fideiussoribus. Exposita est paulo superius sufficienter actionis definitio,quæ est, actio nihil aliud est, quàm ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur. Hæc inquam,definitio conuertitur cum suo definito. Omnis enim actio est ius persequēdi &c.& omne ius persequēdi est actio.Ex ijs oritur quæstio, sit ne actio rei uendicatio?profectò minime.Nempe qui in rem actionem intendit,siue rem uendicat,nihil sibi debitum petit, sed quod suum est, sibi restitui postulat. Quod autem alicuius est, id amplius eius fieri deberi'ue seu dari nulla ratione potest:ut.ff.de excep.rei iu.l. & an eadem. §.actiones.& insti.de lega.§.sed & si rem legata rij.& insti.de act.§.sic itaque discretis actiōibus. Relinquitur itaque,ut rei uendicatio,inspecta definitiōe prædicta, nequaquam sit actio, eò tamē decursum est,licet per abusum usurpatumque contra definitionem superius expositam, ut rei uendicatio nuncupetur actio. Quippe actionis uerbū latius porrigitur,& generale est:ut.ff. de uer. sig.l.pecunię. Ad hęc non absurdè quæri potest, quæ res sit actio?finge enim quod quis acturus, ait,rei uendicationem intendo,seu rem uendico, petitionem hæreditatis propono, uel hæreditatem peto, utrum'ne horum uerborum cōceptio, uel significatio erit actio,quid'ue tertiū?Et certe uerborum conceptio nullatenus est actio.Nō enim figura literarū,id est figura literali uel uocali:sed oratione, quam exprimunt literæ, id est

oratione intellectuali obligamur: ut.ff. de act.l. non figura. Veruntamen si certam rationem sequamur, nec intellectualis oratio, id est uocalis orationis significatio, erit actio. quippe iuris nomen nō recipit, nec ergo actionis. Sicq; quid tertium actionē necesse est esse: Erit itaq; actio, non quæcunq; petitio uel intētio, sed quæ subijcitur petitioni fundandæ intentionis causa, ratio. Ecce enim inquit actor, rem uendico, quia res mea est: hæreditatem peto. quia hæres sum. Hæ certæ subiectæ rationes proculdubio sunt actiones. Nam & in dialecticis reprobatis alijs ambagibus, nihil aliud est argumētum quàm ratio quæ subijcitur, & quod inducitur ad probandum positum dubium, puta si in quæstione uertitur, an Socrates sit animal, & allegetur, quia est homo, cōpetēter à necessario infertur, quia est animal.

DE DIVISIONE ACTIONIS. TITV. II.

EXposuimus non multo superius qualiter actio definiatur: nunc explicemus quemadmodum diuidatur. Et notandum, quia à singulis uerbis, quæ sunt posita in definitione, actionis diuisio sumitur. Ecce enim in primis à uerbo iuris, quia, sicut ius aliud ciuile, aliud prætorium, sic & actionum, aliæ sunt ciuiles, aliæ prætoriæ: ut.ff. de actio.l. actionum.§. ultimo. A uerbo persequendi sumitur diuisio, quòd actionum aliæ sunt in rem, aliæ in personam, aliæ mixtæ. A uerbo iudicij sumitur diuisio, quia sicut iudicium aliud est bonæ fidei, aliud stricti iuris aliud arbitrarium: ita & actionum omnium, aliæ sunt bonæ fidei, aliæ stricti iuris, aliæ arbitrariæ. A uerbo debiti diuisio gemina trahitur, secundum qualitatem eius, & quantitatem. Secundum qualitatem hoc modo, quia sicut de-

betur, aliàs res, aliàs pœna, aliàs utrunq;, ita & actionum omnium aliæ ſunt perſecutoriæ rei, aliæ pœnæ, alię utriuſq;. Secundum quātitatem hoc modo, quia ſicut aliàs debetur ſimplū, aliàs duplum, aliàs triplum, aliàs quadruplum: ſic & actionum omnium, aliæ in ſimplum, aliæ in duplum, aliæ in quadruplum concipiūtur. ulterius enim nulla actio extenditur: ut inſtitu. de act. §. omnes autem actiones. licet pœna aliquando & in amplius extra ordinem producatur: ut. C. de his qui à nō dom. manumiſ. ſunt. l. ultima. &. ff. de incē. rui. nau. l. j. ſtatim à principio. Poſſumus tamen & adhuc commodius diffuſiuſq; partiri: omnium actionum, quibus inter aliquos diſceptatur, aliæ ſunt ciuiles, aliæ ſunt prætoriæ. Harum omnium, id eſt ciuilium & prætoriarū, aliæ ſunt in rem, aliæ ſunt in perſonā, aliæ ſunt mixtę ut fami. erciſ. com. diui. fini. regun. pet. hæredi. & fortaſſis actiones in factum, quæ pro interdictis retinendæ poſſeſſionis hodie reddūtur. Item harum omnium aliæ ſunt bonæ fidei, aliæ ſunt ſtricti iuris, alię arbitrarię, ut actio quod metus cauſa, de dolo in rem actio, & redhibitoria: ut. ff. de ædili. edic. l. redhibitoria actio. Item actionu[m] omnium, aliæ perſecutoriæ rei, aliæ pœnæ, ali[æ] cuiuſdam mixturæ, aliàs in ſimplum, aliàs in d[u]plum, aliàs in triplum, aliàs in quadruplū. Ali[æ] certæ, aliæ incertæ, aliæ famoſæ, aliæ non famo[ſæ], alię priuatę, aliæ publicę ſiue populares, ali[æ] tranſeūt ad hæredes, aliæ nō tranſeūt, aliæ de fa[-] miliari proponūtur, aliæ extrinſecus ex æquo & bono ad uindictā proditę ſunt, ut iniuriarum, & in factum actio, quæ redditur de libero homin[e] occiſo: ut. ff. de deiect. l. ſi uero. §. hæc autem act[io] &. ff. de redhibito. l. quà uulgo. & inſti. ſi quadr[upes] paup. fec. dic. §. penul. Item actionū omniū, aliæ ſunt tēporales, aliæ perpetuæ. Item aliæ deſcen-

dunt ex contractibus, aliæ ex quasi, aliæ ex maleficio uel quasi, sed & ex uarijs causarum figuris: ut. ff. de act. l. j. Variæ figuræ fortassis sunt pacta in continenti adhibita, uel dices propter conditionē furtiuam id dictum esse. Ex cōtractibus autem proficiscuntur actiones aliàs nominatis, aliàs innominatis, aliàs re, aliàs uerbis, aliàs literis, aliàs consensu. Re, aliàs specie, aliàs quantitate. Verbis, aliàs adfirmatiuis, aliàs negatiuis, aliàs in dando, aliàs in faciendo, aliàs purè, aliàs in diem, aliàs sub conditione. In diem, aliàs certum, aliàs incertum. Sub conditione aliàs potestate, aliàs casu, aliàs mixta, aliàs possibili, aliàs impossibili seu ꝓbrosa, aliàs natura, aliàs iure, aliàs moribus. Literis contrahuntur obligationes, & ex illis prodeunt uniformiter actiones, ut ex chirographis, quę spe numerationis conficiũtur. Consensu, aliàs expresso, aliàs tacito. Expresso, ut ex uenditione, emptione, locato, cōducto. Tacito consensu inducũtur actiones, puta actio ex stipulatu pro dote, & hypothecariæ actiones in pluribus iuris articulis, ut in hominis tutorũ cura & quasi, puta orphanotrophorũ, & pro legatis pensionibus & pro his quæ debita sunt fisco. Ex maleficijs autem ueniunt obligationes, & ex illis oriunt̃ actiones, aliàs nominatis, aliàs innominatis, aliàs priuatis, ut ex furto, damno, rapina, iniuria. Aliàs publicis, ut de ui, & de libero homīe occiso, in duobus casibus superius positis, aliàs extraordinarijs. Nam ex stellionatu, quod cōstat esse extraordinarium crimen, actio pignoratitia nascitur, ut. ff. de pigno. act. l. tutor §. contrariam. &. ff. de crimi. stel. l. j. Quippe criminum alia sunt priuata, alia publica, alia neutra: ut. C. de uet. iu. enu. l. tanta circa nos. &. ff. de cri. stel. l. j. Item actionũ, aliæ sunt directæ, aliæ utiles, aliæ contrariæ, Inter directas tamen, &

utiles nõ differentia. Non em̃ refert, directa quis an utili actione agat, uel cõueniatur, quia in extraordinarijs iudicijs, qualia sunt hodie omnia iudicia, & in quibus conceptio formularum nõ obseruatur, hæc subtilitas superuacua est, maxime cum utraꝗ actio eiusdem potestatis est, eundemq́ habet effectum: ut. ff. de neg. gest. l. actio. & insti. de interdict. §. fi. Item actionum, aliæ dãtur ex maleficijs, ut de dolo, in factum, præscriptis uerbis, aliæ ex obligationibus nascũtur: ut ff. de act. l. ex maleficijs. & ff. de procu. l. licet. Itẽ actionum, aliæ redduntur insolidum, ut uenditi, mandati, locati, aliæ non insolidum: hoc autem fit tripliciter, aliàs enim peculiotenus agitur, ex contractibus scilicet filiorũfam. suorumq́. aliàs nisi in id, quod ei abest, prædoni puta, quod improbè ad alterius adcessit negotia. Actio enim neg. gest. datur, sed in id ille alter locupletior factus est: ut. ff. de nego. gest. l. si pupilli. §. sed & si quis, id est aliàs agitur in quãtum reus facere potest, hoc est quando non totum, quod habet, ei extorquetur, sed ipsius ratio, ne egeat, habetur: ut. ff. de re iud. l. inter eos. Agitur autem sic aduersus maritum, socerum & socium: ut. ff. de re iud. l. sunt qui. cum duabus. ll. sequẽtibus. Sic quoq; agitur aduersus quondam filium exhæredatum, uel ex modico institutum absentem'ue, nisi patemfamilias se fortè mẽtitus est: ut. ff. quod cum eo qui in alie. pot. l. secunda & quarta. hoc tamẽ ita, si contractus nomine secum initi, cum esset in potestate, conueniatur. Item actionum omnium, alię sunt uniuersales siue generales, ut pe[illegible] hæredi. mandatum, tutela, pro socio: aliæ su[illegible] speciales, siue singulares, ut rei uendicatio, co[illegible] dictio furtiua, & triticaria. Et quia in actiõibu[illegible] in rem plus iuris habemus, utpote per quas pe[illegible] mus nostrum proprium, quàm in personalibu[illegible]

quibus exigimus nobis debitum, de rerum uendicatione in primis dispiciamus. & quia in rem agitur, aliàs pro uniuersitate, puto hæreditate, quæ hæreditatis petitione proposita, petitur: aliàs pro re singulari, constatq;, quia uniuersitas dignior est, quàm res singularis, à petitione hæreditatis sumamus initium.

DE PETITIONE *hæreditatis.*

TITV. III.

Videamus itaq;, cui petitio hæreditatis cõpetat, & in quem, & qualis sit, bonæ fidei an stricti iuris, temporalis an perpetua. Petitio hæreditatis, alia directa inuenitur, alia utilis. Directa competit hæredi uero, ab intestato, uel ex testamento. Ab intestato, aut iure ueteri, id est ex lege xij. tab. Aut iure nouo, ut ex sena tuscon. & constitutionibus: ut. ff. eo. l. prima & tertia. Datur autem aduersus eum, qui possidet hæreditatem totam, partem 'ue, ius hæreditariũ, rem 'ue hæreditariam, licet unã & minimã, quo quidem casu, etiam tota hæreditas ab eo, qui ex asse est hæres, mero iure inspectoq; rigore, petitur. sed hoc solum ei iudicis officio restituitur, quod aduersarius possidet: ut. ff. eo. l. licet. & ff. si pars hære. pet. l. j. §. is qui hæreditatẽ. Sed & aduersus eum datur, qui possidet res, quasi hæreditarias: ut. ff. eo. l. item uidendũ. §. ult. & l. non tãtum. Itẽ aduersus eum qui possidet res, quæ neq; sunt hæreditariæ, neq; quasi, puta fructus qui post aditam hęreditatẽ accesserunt: ut. ff. eo. l. itẽ ueniũt. §. itẽ non solũ. & §. fructus. & C. eo. l. ij. Datur autẽ aduersus eum directa, qui nullo titulo possidet, id est pro hęrede uel possessore: ut. ff. eo. l. pro hærede. Nullum autem titulũ æstimo, qui uel prorsus, & de facto nullus est, aut, & si de

facto processit, iuris ratione deficit. Deficit autem aliàs ratione personæ, ut si quis sciēs à furioso emerit: aliàs ratione rei, ut si post motā cōtrouersiam quis cōparauerit: ut.ff.eo.l.qui inter. & l.nec ullam.&.C.eo.l.ij. Vtilis petitio hæreditatis distinguitur, aliàs ex persona actoris, aliàs ex persona rei. Ex persona actoris dicitur utilis petitio hæreditatis, & possessoria, quæ cōpetit bonorum possessoribus, quos prętor uelut hęredes facit, & fideicōmissaria, quæ proponitur his quibus hæreditas ex Trebelliano restituitur: ut.ff. de poss.& fideicom.hær.peti. Ex persona rei, puta aduersus eum qui dolo possidere desijt, liti'ue se obtulit: ut.ff.eo.l.etiā.§. itē si quis. &.l.qui se. Datur aūt utilis & aduersus emptorē alias'ue acceptorē bonæ malæ'ue fidei. Aduersus aūt bonę fidei possessorē, duobus dūtaxat in casibus, puta si uēditor nō compareat, modico'ue distraxerit: ut.ff.eo.l.etiā.§.j. Habet aūt hæc actio tā directa quàm utilis, multa communia cum speciali in rem actione, multaq; singularia. Ecce enim petitio hæreditatis sicut & rei uendicatio, contra possidentem datur, dolum coërcet etiam ante litem contestatam admissum: ut.ff.de rei uen.l.sin autem.§.sed & his. Singularia autē hæc sunt. Petitio hæreditatis non datur, nisi contra possessorem sine titulo, præterquàm in casu. Rei uendicatio contra omnem possessorem. Itē petitione hæreditatis non petitur, nisi uniuersitas: rei uēdicatione, nō, nisi saluo grege, res singularis: ut.ff.de rei uen.l.j.§.per hāc. Item petitio hæreditatis augetur fructibus, rei uendicatio minime. Item petitione hæreditatis non tenetur bonæ fidei possessor, nisi locupletior. Rei uendicatione etiā de facto, puta quando petitor erat distracturus. Item in peti.hære. bonæ fidei possessor fit malæ fidei ex sola denūtiatione: in rei uendicatione, nō, nisi

conteſtatione. Item petitio hæreditatis non datur niſi pro hærede & hæredi. Rei uendicatio cuiq;. Item petitio hæreditatis contra poſſeſſorem & iuris & corporis. Rei uendicatio nõ, niſi contra poſſeſſorem corporis. Item petitio hæreditatis non datur contra emptorem habentẽ regreſſum aduerſus uenditorem, eumq; bonæ fidei poſſeſſorem, nec utilis competit, ſed rei uẽdicatio cõpetit contra quencunq; poſſeſſorem. Item poſſeſſor hæreditatis impenſas, & neceſſarias, & utiles, per exceptionem conſeruat: rei poſſeſſor non niſi neceſſarias: ut. C. de rei uendic. l. domum. utiles ſicut uoluptuarias aufert. item poſſeſſor hæreditatis, ſuæ poſſeſſionis titulum cogitur dicere, & pro qua parte poſſideat: ſed rei ſpecialis poſſeſſor minime. Cõſtat autem quòd hæreditatis petitio mixta eſt, id eſt in rem & in perſonam: ut. C. eod. l. hæreditatis. &. ff. eo. l. ſed & ſi. §. petitio. Sed & in hæredem tranſit, utpote cum ex quaſi contractu proficiſcatur. Aliquando tamen & ex contractu actio contra hæredes non competit: ut inſti. de perpe. & tempo. acti. §. aliquando tamen. perpetua quoq; eſt: ut inſti. eo. Et bonæ fidei: ut. C. eo. l. ult.

DE REI VENDICATIONE.

TITV. IIII.

IN rem actio, quæ appellatur rei uendicatio, rei ſcilicet ſingularis: & directa repetitur & utilis. Appellatio enim rei, nõ genus, ſed ſpeciem ſignificat, quæ & deſignanda eſt, & utrum tota, an pars, & quota petatur expreſſim dicendum eſt: ut. ff. eo. l. ſi in rem. In rubrica autem de rebus creditis, Rei uerbum ut generale, prætor legit: ut. ff. ſi cer. pet. l. j. §. omnes enim. In titulo autẽ huius actionis, id eſt rei uendicationis, ſingularis rei ſignificatione idẽ accipitur. Directa

rei uendicatio, aliàs domino competit, aliàs nō domino. Domino directa competit, aliàs directò, aliàs non. Directa directò competens datur in possidentem. Directa non directò competēs, datur in eum, qui dolo possidere desijt, uel liti se obtulit: licet enim hæc utilis, propter eum qui conuenitur, directa tamen potest dici ratione eius, id est domini qui experitur. Non domino directa datur in rem actio, non tamen directò, id est non nomine suo, sed procuratorio, puta si à domino fuerit cessa mandataq́. nam & actionem in rem, & cedi & mandari posse, certo certius est: ut. C. de ac. uend. l. ult. Hoc tamen in casu, licet cessa fuerit rei uendicatio, si non præcessit delegatio, penes cedentem remanet, si dominus fuerat, cum rei dominio: ut. C. de nouat. l. si delegatio. De directa rei uēdicatione primo uidendum, postea de utili, imò de utilibus disputabitur. Dicendū itaq; est, quid sit in rem actio, unde nascatur, cui cōpetat, & in quem, quid in eam ueniat, & quod sit in ea iudicis officium, & qualis sit hæc actio. In rem autem uēdicatio directa est actio per quam rem nostrã, quæ ab alio possidetur, petimus, & semper aduersus eū, qui rem possidet: ut. ff. de act. l. actionum. Nascitur ergo rei uendicatio, nō ex obligatione, ut Insti. de actionibus, sed ex possessione. Quippe possessio parit aduersario actionem in rem: ut. C. de alie. iudi. mu. cau. fac. Cōpetit autē in rem actio ei, qui dominium adquisiuit iure ciuili uel gentium, nō iure naturali: nempe eo iure omnia sunt communia, nulla priuata. Ex ijs colligitur, quia nec sacra aut religiosa uendicare possumus, sed nec liberos nostros, nisi quis adiecta causa, id est ex iure Quiritum uendicet: ut. ff. eod. l. j. §. per hanc autē. Datur autem ei, qui dominiū quæsiuerit traditione, quasi traditione, & modo neu-

tro. Traditione,ut ex donatione,uenditione,similibusque. Quasi traditione, ut si quis in re sua usumfructū sibi exceperit: ususfructus enim exceptio pro rei traditione habet. Vel si quis rem suam propriam,non errans,à domino cui donauit,conduxerit. Vel si possessor rei alienæ, præsentis tamen æstimationē præstitit, si tamen res illa in dominio petitoris fuit: ut.ff.eo.l. quædā. &.l.eius.cum.l.seq. Modo neutro,ut in hæreditarijs & legatis:siquidem directa uia, legata,ab adita hæreditate,ad legatarium transeunt:ut.ff. de furt.l.à Titio.Hæreditaria quoque fiunt hæredis, aditione hæreditatis, etiam sine apprehensione possessionis: ut.ff.de cri.expi.hæred.l.ij.§. apparet,&.C.eod.l.j. Datur autem hæc actio, sicut etiam dictum est, in eum qui possidet corpus quodlibet. possideri autem illud corpus intelligo, quod censet per se & extat:secus si quid fuerit inclusum, iniunctum, intextum'ue. In ijs enim casibus non habet uendicatio locum, nisi, quod sic habetur, fuerit exhibitū separatumque. aliquando tamen nec ut exhibeatur,agitur,ut si sit tignum iniunctum, sed & aliàs non uendicatur quod inuenitur exutum uel abruptum:ut.ff. eod.l.in rem.§.item quæcunque. puta si fuerit ferruminatum.Corpus autem intelligo quale,siue solidum ut lapidem, siue discretum, ut gregem, siue coniunctitiū, ut ita dicam, cuiusmodi sunt ædificium, nauis, armarium: ut.ff.de usucap.l. rerum. Et sciendum est, quia ut omnis generis corpus hac actione petitur, sic & possessio qualisqualis,etiam naturalis,locū facit huic actioni.Quippe & à commodatario & depositario, sed & ab omnibus qui tenent, & habent restituendi facultatem, uendicari posse puto: ut.ff. eod.l.officium.in fi.Excipitur qui rem immobilem alieno nomine tenet; hic nanque si conuenit,

dominum in iudicio nominare permittitur: ut C.ubi in rem act.l.ij. Venit autem in hāc actionem rei ipsius restitutio, sed & omnis causa & accessio præsertim post litem contestatam:ut.ff. eod.l.Iulianus.§.item Iulia. &.l.præterea. ante litem contestatā non. Nomine rei deterioris factæ, malæ fidei possessor tenet, & iudicis solertia coërcebitur in hac actione, remissa Aquilia, prout actor maluerit:ut.ff.eo.l.non solum. &.l. quod si.Bonę fidei autem possessor & si rem petitam neglexerit,& deteriorem, sine dolo tamē, reddidit, nulli querelæ subiectus est ante petitionē,postea uero & ipse prædo est:ut.ff.de peti. hære.l.quod si. Habetur ergo in hac actione,secundum ea quæ dicta sunt, ratio damnorū perceptorum, sed & impēdiorum. Ecce enim si bonæ fidei possessor ædificium fecerit uel refecerit, ei consulitur per retentionem, siue doli mali exceptionem, non tamen quatēnus impensum est, sed in quantum res melior facta est, hoc tamen ita,si petitor diues fuerat,eademq; facturus,& si pauper illico erat distracturus:ut.ff.eo.l. in fundo.& non per actionem:ut.ff.de excep.do.ma.l. cū uir.Nec,quod ab aliquibus iactatur,actionē negotiorum gestorum debere competere, ad instar prædonis,qui adcessit ad aliena negotia sui lucri causa quæcunq; gerit,siquidem prædo est: & quamuis suo commodo studeat, alienum tamen negotiū se gerere non ignorat:ut.ff.de neg. gest.l.si pupilli.§.sed & si quis. Malæ fidei autē possessori, siue quid ex nouo fecerit, siue refecerit, nec actionis nec exceptionis remedium tribuitur. Mos enim gerit in tollendis talibus impendijs,id est in uoluntarijs: ut.C.eod.l.domū. Si uero ex nouo malæ fidei possessor ædificauerit, nec abradere poterit. Quippe tam materiā, quàm operam donasse creditur:ut.C.eod.l.ij.&

ff.eo.l.in fundo.Eo tamen saluo,quia si bonæ fidei emptor areæ fuerim,inq; ea ædificauerim,eo tempore quo iam alienam comperérim, & si nō prosit exceptio, sine dispendio tamen domini areæ, ædificium, quod posui,tollere potero: ut ff.eod.l.Iulianus. Illud tamen non inargutè distingui potest, quod sumptus in prædiū factus, quod alienum esse apparuit, à bonę fidei possessore per retentionem seruatur:à malæ uero fidei, nullo modo, id est nec actione, nec iudicis officio, nec exceptione, nisi necessariò in rem factā impenderit, non si rem ex nouo fecerit. Quippe longe aliud est facere,quàm reficere:ut.ff.de iti. ac.pri.l.unde.§.reficere. In inutilibus uero sumptibus & uoluptuarijs nulla ratione iuuat, nisi quia abradere permittitur: ut.C.eod.l.domum. &.ff.eo.l.sumptus. nisi fortè tantum dare paratus esset, quantum ijs ablatis possessor habiturus foret, nihil laturus nisi ut officiat. nec enim maleficijs indulgendū est: ut.ff. eo.l.in fundo.§. constituimus. Sin autem mala fide ædificauerit,sicut & dictū est,omni carebit auxilio: quia nec aget,nec excipiet, nec iudicis officio ei subueniet,sed nec tollere, nisi in casu prædicto, cōcedetur. Fructuū quoq; in rei uendicatione ratio habetur, differenter tamen, & uariè propter uarietatem possessorū. Alij sunt bonæfidei, alij malæ,alij cum titulo,alij sine titulo. Alij faciūt fructus suos,alij non. Fructuum quoq;,alij sunt percepti, alij non. Perceptorū, alij sunt extātes, alij consumpti, alij naturales, alij industriales. Necnō perceptorū,alij sunt tales,quos malæ fidei possessor percipere potuisset, si nō neglexisset. Alij sunt tales,quos uetus possessor,id est petitor percepisset,si ei possidere licuisset.Et certæ bonæ fidei possessor,siue cum titulo,siue sine titulo, fructus suos facit, quos tamen sua opera

percepit,nempe naturales ad dominũ soli perti-nent:ut insti.de re. diui.§.si quis à non domino. &c.ff.de usur.l.fructus. Quod enim in.ff. de ac-quir.re.do.l.bonæ fidei.dicitur, bonæ fidei em-ptores omneis fructus suos facere, intelligi de-bet & ex sua opera alterius'ue possessoris no-mine præstita prouenientes: hos autem fructus suos factos bonæ fidei possessor uictus restitue-re cogitur,si tamen extẽt: ut.ff.eo.l.Iulianus.& l.& ex diuerso.§.ubi autem alienum. &c.C.eo.l. certum.& Insti.de iu.offi.§.& si in rem.& de re. diui.§.si quis à non domino. Consumptos au-tem fructus bonæ fidei possessor lucrifacit, nisi duobus in casibus, puta si sumptus quos fece-rit,repetit, usuras'ue pecuniæ creditori solutæ. Quippe in istis duobus casibus fructus etiam consumptos cum sumptibus & usuris compen-satur:ut.ff.eod.l.sumptus.&.l.emptor.Malæ fi-dei autem possessor, nec fructus, quos sua opera percipit, & si titulũ habeat, suos facit, sicq; eos extantes etiã,actionis iure uictus, restituit:con-sumptos autẽ iudicis officio,uel sine causa,con-dictione compulsus,redhibebit:ut Insti. de iud. offic.§.& si in rem.&.ff.eo.l. & ex diuerso.§.ubi autem. &.l.si homo. &.C.de condict.si.cau.l. mala fide. A percipiẽdis autem fructibus,etiam malæ fidei possessor excusabitur,si tamen titulo muniatur:ut.C.eo.l.si fundum.si uero titulo ca-reat,& de non perceptis tenebitur,si tamen per-cipi honestè potuerunt:ut.ff.eo.l.fructus. &.l.si nauis.§.generaliter. Fructus tamen & inhone-ste quæsitos,possessor restituere cogitur, ne ho-nesta interpretatio, nõ honesto quæstu, lucrum possessori faciat: ut.ff.de pet. hæred.l.si posses-sor.ij.Sanè mater similisq; persona, etiam si ti-tulo non gaudeat,de percipiendis nõ tenebitur: ut.C.de usufruct.l.si pater. Malæ fidei autẽ pos-

ſeſſor ſine titulo, etiam de percipiẽdis condẽnabitur, quos ſcilicet ipſe potuit percipere: ut.ff. eo.l.fructus. ſed non in omneis,quos uetus poſſeſſor, id eſt petitor fuerat percepturus, niſi malæ fidei poſſeſſor fuerit inuaſor.C.unde ui.l.iiij. Hoc enim in caſu malæ fidei poſſeſſor condẽnabitur, & in fructus, quos uetus poſſeſſor percepiſſet. Sanè notandum quòd in caſu unico de fructibus, quos etiam percipere potuiſſet bonæ fidei poſſeſſor, tenetur etiam cum titulo, puta ſi quis conſcius à debitore eodemq; fraudatore,in fraudem creditorum emerit: ut.ff.quæ in fraud. cred.l.ait prætor.§.per hanc.Generaliter autem cum de fructibus æſtimandis quæritur, conſtat animaduerti non debere, an malæ fidei poſſeſſor fruitus ſit. ſed an petitor frui potuerit, ſi ei poſſidere licuiſſet:ut.ff.eod.l.ſi nauis. §.generaliter. Si ergo fruitus eſt poſſeſſor,& petitor fruiturus fuiſſet,puta naue taberna'ue,pręſtabit fructus,& mercedes uecturasq;, ſed & ſi fruitus eſt poſſeſſor,licet non eſſet fruitus petitor,ſimiliter præſtabit:ut.ff.de pet.hęre.l.cũ hæreditas.Præſtabit quoq; poſſeſſor fructus,etiam ſi non eſſet fruitus, cũ tamen petitor fuerat fruiturus. Si uero naue ſeu taberna non eſt fruitus poſſeſſor,ſed nec fuiſſet fruiturus petitor,poſſeſſori nõ imputabitur:ut.ff.eo.l.ſi nauis.Officiũ autem iudicis in hac actione,in hoc uerſabitur,ut iudex inſpiciat an reus poſſideat, nec ad rem pertinebit, ex qua cauſa poſſideat. ubi enim probaui rem meã eſſe, neceſſe habebit poſſeſſor reſtituere, qui nõ obijcit aliquam exceptionem : ut.ff.eo.l.officiũ autẽ.Sed & in eo iudicis erit officiũ,ut,ſi contra petitorem iudicauerit,reum debeat abſoluere:ſi uero pro petitore contra reũ,ipſum debeat condemnare, ut rem ipſam reſtituat cum fructibus, ſecundũ diſtinctiones ſuperius poſitas.Sed ſi in

præsenti neget sine frustratione se posse restituere, tempus ei dabitur à iudice: fideiussoria tamē ab eo præstita cautione, de litis æstimatione: ut insti. de offic. iud. §. & si in rem. Constat autem, quia rei uendicatio est arbitraria, id quod probatur ex lege quæ est. §. sub eodem titulo. l. qui restituere. Sed & per aliam titulo eodem. l. & ex diuerso. Ex eo quoq; arguitur, quod etiā actiones in rem utiles ueluti Publiciana, Seruiana, sunt arbitrariæ: ut insti. de act. §. præterea. Arbitraria autem dicitur hæc actio, & quęcunq; alia arbitraria, eo quia primū iudex arbitratur rem restitui, scilicet interloquēdo, & postea pronūciat definiendo, & quantū aduersarius in litem sine ulla legis taxatione, in infinitum iurauerit condēnando. Hoc tamen ita, si dolo desijt posse restituere: si uero culpa, non pluris quàm quanti res est, reus condemnandus est. Si uero rem quidem habet sed non posse restituere contendit, manu militari possessio ab eo iudicis officio transferatur: ut. ff. eod. l. qui restituere. Et notandum, quia ubi quis culpa possidere desijt, litisq; æstimationem præstitit, etiam præter directæ in rem actionis cessionē suo nomine habebit utilem: ut. ff. eo. l. si culpam. Illi tamen scilicet possessori, qui litis æstimationem subijt, sicq; rem non restituit, petitor de euictione cauere nō cogitur: ut. ff. eod. l. & ex diuerso. §. petitor. Si uero possessor cōdemnatus, dolo malo possessionem amiserit, duntaxat ei cauebit petitor per se non fieri possessionem eius rei nō traditum iri: ut. ff. eod. l. hæc si. Notandum quoq; est, quòd per arbitrium, id est per interlocutoriam sententiam, iudex cum reo agit clementius, per ultimum autem calculum, id est per definitiuam sententiam agit secum durius, coërcetq; eum seuerius, puta in quantum iurauerit petitor etiam in infinitū,

ut est

ut est superius dictum. Nam & cũ eo, quia actio ne quod metus causa conuenitur, quam constat esse arbitrariã, satis clementer prætor agit, dans ei restituendi facultatem si uult pœnam euitare: ut. ff. quod met. cau. l. si cum. §. si quis non restituat. Tollitur autem hæc actio tẽpore, aliàs ipso iure, ut per usucapionem, quæ clauditur triẽnio, & fortassis per præscriptiones x. & xx. annorũ. Aliàs per exceptionem, ut per præscriptiones. Aliàs longiores. Extẽditur ergo hæc actio, aliàs usq; ad triennium, decennium, uicennium. Aliàs sopitur spatio xxx. annorũ. Aliàs xl. puta si fuerit in iudicium deducta: ut. C. de anna. excep. l. j. §. ad hæc. Aliqaando quoq; in centesimum annum porrigitur, puta quæ competit Romanæ ecclesiæ: ut authen. ut eccle. Rom. cẽtum ann. hab. præscrip. Et quæ competit ciuitatibus secundũ quosdam: ut. C. de sacro. eccl. l. ult. Sed & omnis actio ne dum rei uendicatio, quam aliàs tricẽnalis, decennalis, uicennalis pręscriptio secludit, si loco cuicũq; religioso competit xxx. annis clauditur, usucapione & quadriennĳ præscriptione suum robur obtinentibus: ut authen. de eccle. ti. col. ix. cõsti. sexta. §. quas actiones. Exposuimus de directa rei uendicatione, modo uideamus de utili, quæ non domino competit. Datur autem utilis non domino, aliàs ratione corporis, ut Publiciana, rescissoria, & plures aliæ: aliàs ratione iuris, ut confessoria & negatoria.

DE PVBLICIANA ACTIONE. TITV. V.

DE publiciana uidendum est, qualiter prodita sit, cui competat, & in quem, quid in eam ueniat, & ex quibus causis detur, & qualis sit hęc actio. Est autem actio Publiciana non ideo comparata, ut res domino auferatur,

ex bono publico contra naturalem rationem: eiusque rei argumentum est, primo æquitas, deinde exceptio, quæ potest dici secũda æquitas, scilicet si ea res possessoris non sit. Exceptio tamẽ iusti dominij Publicianæ potest obijci: ut. ff. eo. l. ultima & penultima. Competit autem ei, qui quid sibi traditum ex iusta causa à non domino, possidere cœperit, nõdumque usuceperit. Nempe si usucepisset, directam & ciuilem haberet, nec utilem uel honorariam actionem desideraret: ut. ff. eodem. l. prima. Traditum autem ex iusta causa intelligo ex uenditione, donatione, dotis nomie, & ex causa legati, sed & si res ex causa iudicati sit tradita adiudicata'ue, Publiciana cõpetit: ut. ff. eodem. l. secũda & septima. Estque Publiciana ad instar proprietatis tradita, & nõ ad instar possessionis respicit: ut. ff. eodem. l. septima. §. eum qui. Competit autem hæc actio non tantum bonæ fidei emptori, & legatario similibusque, sicut dictum est, sed & hæredi, honorarijs quoque successoribus. Datur autem in hæredem & in quẽcunque possessorem. Et in summa in Publiciana actione omnia eadem erunt, quæ in rei directa uendicatione diximus: ut. ff. eodem. l. sec. &. Datur autem & ex quibuscunque causis datu directa in rem actio, si tamen ex his causis nacti prout diximus, rerum quæsitarum possessionem amiserimus. Interdum tamen nec ex iustis possessionibus competit Publicianum iudiciũ, ut ex pignoraticijs atque precarijs: ut. ff. eodem. l. quæcunque statim à prin. Notandum autem est, quod & præter traditionem possessionemque Publiciana competit, ut in hæreditarijs & legatis, p[illegible] quoque ancillæ furtiuæ apud bonæ fidei emptorem concepto, nondumque possesso, sed & in eo quod per alluuionem accesserit, in eo quoque quod alicuius totius integri, ut statuæ, ædifici

pactio fuerit, rescisumq; petitur. Sed & si de usu fructu agitur tradito, itemq; de seruitutibus rerum, Publiciana datur. Istis autē in casibus pro traditione habetur patientia, hic quoq; traditionem & patientiam tuendam esse constat: ut. ff. eodem. l. si ego. §. si de usufructu. Præterea sciendum est, quod in his demum Publiciana cessat, quæ usucapi non possunt: hoc tamen ita, si usucapio propter rerum uitia præpediatur, puta in furtiuis ui possessis, & seruis fugitiuis: & in summa si res talis sit, ut eam lex aut constitutio alienari prohibeat, Publiciana non competit, quia ijs casibus neminem prætor tuetur. ne contra leges faciat: ut. ff. eodem. l. cum. §. si res tales. & . l. siue. §. hæc actio. Si uero nsucapio rerum conditione impediatur, & tunc Publiciana competit, ut in uectigalibus & in superficiarijs: ut. ff. eodē. l. cum sponsus. §. si res talis. Est autem hæc actio in rem, sicut dictum est: ut. ff. com. di. l. septima. & arbitraria: ut Insti. de act. Prçterea porrigitur etiam post annum: ut. ff. de actio. l. in honorarijs.

DE RESCISSORIA.

TITV. VI.

SEquitur ut de rescissoria uideamus. Competit autem rescissoria ei, cuius res usucapta prçscripta'ue est, actio'ue sua tempore perierit, cum reipublicæ causa abest, uel in hostium potestate fuisset: ut Insti. de actio. Rursus quoq; alijs multis, hanc actionem prætor simili æquitate motus, accommodat: ut. ff. ex quibus causis in integ. rest. l. j. & . l. octaua. & nona. & decima. & undecima. Hoc tamen ita, si usucapio in absentia fuerit impleta post'ue redditū. sed intra tēpus modicū quo hospitiū cōducitur, sarcina cōponitur, aduocatus quærit: ut. ff. ex qui. cau. maio. l. ab hostibus. §. sed quod simplr. De his autē

latius quæ ad resciſſoriam pertinent, in ſumma quam de reſtitutionibus fecimus, diligẽs lector inueniet. Sed & ſicut ſuperius datur reſciſſoria abſentibus reip.cauſa, ſic & aduerſus eos dirigitur ne obſit uel proſit quod euenit:ut.ff.ex quib. cau.l.prima. puta ſi ipſi abſentes, res domi conſtitutorum, uſuceperunt uel præſcripſerunt. Eſt autem hæc actio, ſicut & ſuperior, tum utilis in rem,tum arbitraria:differt tamen ab ea, quia ſuperior ultra annum porrigitur, hæc anno terminatur.Item Publiciana laborat ut uſucapio perficiatur. Reſciſſoria cõtra ius ciuile datur, id eſt efficit ut uſucapio reſcindatur: ut Inſti. de act.§. nanq; ſi cui.&.C.quib.ex cau. ma.l.ult. Item in eo differunt,quòd reſciſſoria agentẽ prætor permittit dicere uſucaptum nõ eſſe quod uſucaptũ eſt:ut Inſti.de act.§.rurſus ex diuerſo. Publiciana autem experientem prætor permittit dicere uſucaptum eſſe quod uſucaptum non eſt. Nam & aliàs prætor mendacium,utpote ſatis utile admittit,ipſum quoq; impunitum relinquit. Ecce enim lege Cornelia fingitur,ab hoſtibus captũ, ibiq; mortuũ deceſſiſſe,ea hora qua captus fuit, licet poſtea diutius uixerit,ſed & iure poſtliminij firmatur ab hoſtibus reuerſum, ſemper in ciuitate fuiſſe,licet apud hoſtes longo tẽpore manſerit:ut.C. de poſtli. re.l.j. &.ff.eo.l. in bello. & Inſti.quib.mo.ius pa.po.ſol.§.ſi ab hoſtibus.

DE VTILI IN REM ACTIONE *agrorum uectigalium.*

TITV. VII.

Sequitur & alia in rem utilis, quæ datur his qui in perpetuum fundum conduxerũt à municipibus.Datur autem aduerſus quẽcunque poſſeſſorem, ſed & contra ipſos municipes, ita tamen, ſi uectigal ſoluant. Idem eſt & ſi ad te

pus habuerunt conductum, nec tempus condu- ctionis sit finitũ. Secus æstimo si à priuato quis cõduxerit & in perpetuum: nec enim absurdum est ut plus possit locatio municipum, quàm pri- uatorum: ut. ff. si ager uecti. l. j.

DB VTILI IN REM ACTIONE
Quæ datur emphyteutæ.
TITV. VIII.

COmpetit & utilis in rem emphyteutę, qui prædia emphyteutica siue sua emponema ta permutare potest & uendere, si tamen dño denũciet: ut Insti. de loca. & con. §. adeò au- tem. C. eo. l. cum dubitatur. Huius autem cõtra- ctus noui, & à Romanis reperti, propriã naturã Zenon statuit, non inclinantem ad uẽditionem, aut locationem, sed suis proprijs pactionibus & naturalibus proprietatibus roboratam. Has au tem omneis ꝓprietates ex. C. & Insti. facile col- ligere licet. Illud autem sciendũ est, quia emphy teuta, ut pensionẽ soluat, intra trienniũ priuato, intra bienniũ loco religioso, cõdictione ex lege conuenitur, licet post traditionẽ emphyteutici prædij in se collatã, utili in rẽ actione, emphiteu- ta contra quẽcunqꝫ possessorem experiatur. Sed & illud sciendum est, quia contractu emphyteu seos inito, & nondum ex eo prædio tradito, con dictione ex lege agitur ut traditio celebretur.

DE VTILI IN REM ACTIONE
Quæ datur superficiario.
TITV. IX.

SVperficiario quoqꝫ, id est ei qui in alieno solo superficiem ita habet, ut certam pensio nẽ præstet. Prætor causa cognita in rẽ actio- nem utilem & aduersus quẽcunqꝫ possessorem

pollicetur:ut.ff.de rei uendi.l.superficiario. &.l. prętor.&.ff.de pig.act.l.tutor.§.ult. si tamen nõ ad tempus modicũ conduxerit:ut.ff.de superfic. l.prima.§.qui superficiem.

DE VTILI IN REM ACTIONE *quæ datur militi & minori.*

TITV. X.

Datur quoq; utilis in rẽ militi & minori, quorum pecuniis res emptæ fuerint, licet non eorũ nomine, si tamen maluerint uẽdicare, quàm pecunias cõdicere:ut.C.de rei uen. l.si ut.&.C.arbi.tut.l.curator. Tunc autem propriè minor prædium sua pecunia comparatum uẽdicabit, si curator emerit:secus fortè erit si extraneus comparauit: ut ex.l. prædicta, curator conuicitur.

DE VTILI IN REM ACTIONE *quæ datur ei, qui rem mortis causa donatam reuocat.*

TITV. XI.

Vtilis quoq; uendicatio datur ei, qui rem mortis causa donatam reuocat, siue conualuerit, siue pœnituerit, siue sic pepigerit, siue de peregrinatione redierit: ut.ff.de dona. cau.mor.l.qui mortis.

DE VTILI IN REM ACTIONE, *qua res inofficiosæ donata, reuocatur.*

TITV. XII.

Vtilis quoq; uendicatio competit, ut reuocetur quod inofficiose donatum est, sed & ut reuocetur quod donatarius ingratus, & immemor accepti muneris acceperit:ut.C.de inoffic.donat.si totas.&.C. de reuo.do.l.his to-

lis. Quidam tamen ad reuocanda hæc, duntaxat condictionem ex lege competere inquiunt.

DE VTILI IN REM ACTIONE, *qua res propter nuptias donata, soluto matrimonio repetitur.*

TITV. XIII.

RES quoq; propter nuptias donata, soluto matrimonio, licet non fuerit tradita, utili in rem actione petetur: ut in authen. ut immob. antenup. don. neq; hyp. dētur. Sed & si res fuerit per metum tradita, dominiumq; sic transiuit, ideoq; directa uēdicatio cessat, in rem tamen utilis tribuitur: ut. ff. quod met. cau. l. metum. §. ex hoc edicto.

DE VTILI IN REM ACTIONE *legis commissoriæ.*

TITV. XIIII.

ITem si quis uēdiderit lege commissoria, hoc est, ut si pecunia die pacto præfixa, non fuerit soluta, res sit inempta, nec fuerit facta solutio utilis proponetur rei uendi. ut. ff. de lege com. l. ult. C. de pact. inter emp. & uen. l. qui ea lege.

DE VTILI IN REM ACTIONE, *quæ datur ei qui rem donauit ut aleretur, & non fuit alitus.*

TITV. XV.

ITem si quis rem donauerit ut alatur, nec fuerit alitus, non tantum poterit condicere, id est in personam agere, sed utiliter uendicare: ut C. de donatio. quæ sub mo. l. prima.

DE VTILI IN REM ACTIONE
qua res æstimata in dotem data, soluto matrimonio, repetitur.

TITV. XVI.

SEd & res ęstimata in dotem data, soluto matrimonio, utili in rem actione petetur: ut. C. de iur. do. l. in rebus. Aliqui tamen hoc intelligendum adserũt, si intercesserit pactum, ut mulieris esset arbitrium.

DE VTILI IN REM ACTIONE
ex tacito fideicommisso.

TITV. XVII.

ITem si tacitum fideicommissum, & per hoc licitum, alicui fuerit relictum, fiscus illud uel utiliter uendicabit: ut. ff. de iur. fis. l. Imperator noster.

DE VTILI IN REM ACTIONE
decimæ, quam quis uouit.

TITV. XVIII.

ITem si quis bonorum suorũ decimã, rem'ue quamcunq; suam uouerit, non equidem prius in bonis esse desinit, quàm fuerit separata, uel seorsum posita, ad eam petendam uẽdicatio, uel utilis proponit: ut. ff. de pollic. l. ij. §. si decimã. Sanè quod in. C. de sacro san. ec. l. ult. notãdum reperitur, in rem actionem uel utilem, ecclesię cõpetere, ex pacto donationis, uenditionis, similibus q;, falsissimum puto. Quippe ea lege cauetur actionẽ ecclesiæ cõpetere, ad instar eorũ, quæ legati titulo fidei'ue cõmissi fuerint derelicta. At enim legatarijs & fideicõmissarijs, dũtaxat noie relictorũ ante traditionẽ, actiones in rẽ tradunt,

Ea propter nec ecclesijs, nisi in relictis & non ex pactis, actio in rem uel utilis accommodabitur.

DE PRAEIVDICIALIBVS ACTIONIBVS.

TIT. XIX.

PRoditæ sunt & adhuc tres actiones in rem utiles, quæ uocantur præiudiciales. Prima est per quam quęritur, an quis liber sit. Altera an libertus. Tertia, per quam quæritur de partu agnoscēdo, id est an quis sit filius, ut Inst. de acti. §. præiudiciales actiones. Dicuntur autem præiudiciales, quia actionibus secum concurrentibus, antea postea'ue propositis, præiudicare solēt. Itaq; licet principaliter aliquoties intendantur præiudiciales uocantur, non quòd actu ipso tūc præiudicent, sed quia si quæ actiones cum illis concurrerent, profecto præiudicarent. Nam & aliàs actionem legis Aquiliæ pœnalem nuncupamus, non quia semper pœnam contineat, sed quia sic nata est & prodita ut pœnam ualeat persequi: possit quoq; crescere, aliàs ex inficiatione, aliàs ex mēsis uel anni spacij repetitione: ut. ff. ad legem Aquil. l. inde Neratius. §. hæc actio. & l. si seruus. & ff. de act. & obli. l. qui seruum. §. ult. & Instit. de lege Aquilia. §. his autem uerbis. Tunc autem reuera, id est nomine & re sunt præiudiciales actiones, cū aliæ actiones principales intenduntur, & eis præiudiciales actiones in modum exceptionis obijciūtur. Ecce enim si à me petas hæreditatem, egoq; tibi obijciam quòd meus seruus sis, uel libertus, uel filius, in primis uentilabitur hæc à me tibi obiecta quæstio: & si obtinuero, sublata erit tua, li[illegible] primo mota fuerit intentio. Nam & aliàs si quē de iniuria fortassis accuso, & ipse mihi cædis aut uulnerum crimen obiecerit, ipse, utpote

de maiori crimine acturus, prius audietur quàm ego. Sanè notandum est quòd illa prima in rem actio utilis præiudicialis, id est per quam quæritur, an quis liber sit seu seruus, ciuilis est, & legitimam ferè causam habet. Aliæ autem duæ ex prætoris iurisditione substantiã capiunt. Legitima autem causa actionũ in rem, dominiũ est. Quippe ita proditæ sunt iure ciuili actiones in rem, ut quis dominium suum uendicet: ut Instit. de act. §. præiudiciales. licet ipsum habeat. Nam & aliàs fundum etiam traditũ peto: ut. ff. de uer. obli. l. ult. Ferè autem ideò dicitur in textu, quia licet eo actionis genere agatur de dominio, cessat tamẽ trina distinctio. Ecce enim aliàs in causis alius est qui petit, alius à quo petitur, aliudq; quod petitur. Nanq; si quis aliquem, qui in possessione libertatis est, petit in seruitutem, ipsum petit, & ab ipso eodem petit, adsertione sublata. si quis non in possessione seruitutis constitutus, in libertatem proclamet, ipse est qui petit, & seipsum petit. In alĳs autem duabus prçiudicialibus, id est per quas quæritur, an quis sit libertus, seu filius, cessat utrunq;: id est, & dominĳ ratio, & trina distinctio. Nempe in his de dominio non agitur, sed & in his duabus actionibus idem est, qui uel à quo, petit, cũ eo quod petitur. In rem tamen & istæ duæ actiones sunt. Nam libertus prçiudiciali actione à patrono petitur, & siue neget omnino se libertũ, siue confiteatᷓ, sed non Gaĳ Seĳ, seu puta se petentis libertum esse diffitetur, præiudicium redditur: ut. ff. si inge. l. ulti. Libertus quoq; se dicit suũ, & filius similiter, id est sui iuris. Vnde & Persius:

Vindicta postquam meus à prætore recessi.

• Sunt autem arbitrariæ actiones istæ, ut puto, & extra ordinem aliarum actionum negatiue

plerunque intenduntur,puta cum aliјs actionibus principàliter intentatis obijciuntur. Quod genus actionis scilicet negatiuæ, in controuersijs rerum corporalium aliàs proditum non est: nam in ius is,qui non possidet,agit. Ei uero qui possidet non est actio prodita nomine corporū, per quam neget rem actoris esse:ut Insti.de acti. §.æquè si agat. Sanè nomine rerum incorporalium actiones in rem utiles & negatiuæ proditę sunt,quæ appellantur negatoriæ.

DE VTILI ACTIONE CONFESSORIA *atque negatoria,quæ de seruitutibus,tam rerum, quàm personarum,tum rustici,tum urbani prædij proponitur.*

TIT. XX.

SVnt & aliæ quæ uocantur cōfessoriæ. Proponuntur autem istæ actiones,id est confessoria & negatoria,de seruitutibus tam rerum quàm personarum cum rustici, tum urbani prædij : ut.ff.si seruit.uendic.l.j.&.l.ij.primo responso. & Institu.de actio.§.æquè. Videamus itaque cui competat confessoria, atque negatoria, & in quē, quid in eas ueniat, & quales sint. & sciendum est, quòd confessoria & negatoria inuenitur, tam directa quàm utilis, licet omnis confessoria ac negatoria sit actio in rem utilis. Directa autē confessoria nulli alij quàm domino fundi,cui seruitur, cōpetit. Seruitutem enim nemo alius uēdicare potest, quàm is, qui dominium in fundo uicino habet, cui seruitutem dicit deberi:ut.ff.si serui.uend.l.ij.§.hæc autem in rem actio.Vtilis autem cōfessoria dicitur, aliàs ratione personæ,aliàs ratione rei. Ratione personæ,sicut ea quæ cōpetit non dominis seruitutes uēdicantibus, puta superficiario, fructuario

uectigalis fundi possessori:ut.ff.de serui.l.ei qui.&c.ff.de remis.Ratione rei,utilis confessoria cōpetit, puta si quis uiam uēdicet ad sepulchrum, quod est humanis usibus exemptum:ut.ff.si serui.uend.l.j. licet seruitus itineris ad sepulchrum priuati iuris sit:ut.ff.de seruit.l.seruitutes.§.seruitus. Competit autem confessoria directa uel utilis ei,cui seruitus quasi tradita est,uel per patientiam. Traditio enim & patientia seruitutū, inducunt prætoris officium : ut.ff.de seruit.rust. præ.l.j.in fi.Competit autem ita demum, si prohibeatur uti seruitute, qua & retro usus fuerit. Prohibetur autē quis, aliàs expressim,ut si prohibeatur ire,agere,uti,frui. Aliàs per consequētiam, ut si prohibeatur uiam reficere, sternere, quid'ue, quod iter facit inuium, auferre : ut.ff.si seruit.uendic.l.loci.§.si quis.Directa autem negatoria competit domino ædificij uel prædij, quod seruire debere dicitur neganti, seruitutem se uicino debere : ut.ff. si seruit. uendic. l.loci.§. competit. Vtilis autem negatoria competit & eis,& in eos, quibus, & in quos competit utilis confessoria.Sanè notandum est quòd in negatoria actione duo specialia reperiūtur. Vnum est, quia negatiuè concipitur quod aliàs non habetur,nisi in præiudicialibus,& in illis, ita demū, si non principaliter, sed in modum exceptionis, sicut & superius dictum est,obijciuntur. Est & aliud in negatoria speciale, quia idem est iuris possessor atque debitor. Hoc autem ultimū actio negatoria commune habet cū confessoria. Ecce enim si ego , cuius prædium seruire dicitur, patienti eo qui seruitutem sibi uendicat, ædifica uero, ego iuris possessor effectus ero, petitorque negatoriam intendendo: si uero non habuero ædificatū,aduersarius meus possessor est. Nam cum nihil sit innouatū,ille possidet: hoc tamen

ita, si & retro, sicut iam dictũ est, seruitute usus fuerat, & se uti suo iure credebat: ut. ff. si seruit. uendic. l. & si. §. sciendum. & ff. quemadmo. ser. amit. l. ultima. & ff. de aqua quotid. & æsti. l. j. §. Aristo. & ff. de iti. pri. l. ult. Competit ergo confessoria aduersus eum, qui prohibet quem seruitute uti, opere, manu'ue: negatoria non competit aduersus eum qui uult seruitute uti, puta aduersus eum, qui uult uti, frui, habitare, ire, agere, ambulare, aquam'ue ducere. In confessoriam autem actionem & negatoriam fructus ueniũt. Fructuum autem nomine in cõfessoria computatur, quod intersit agentis, seruitute uti non esse prohibitum, uel non prohiberi. In negatoria uero actione, fructuũ nomine computatur quod interest intendentis negatoriam, non esse usum itinere, puta fundi sui, uel non amplius uti: ut. ff. si seruit. uendic. l. loci. §. iiij. Sunt autem, sicut & iam dictum est, actiones istæ in rem: ut. ff. si seruit. uendi. l. j. §. hæc in rem actio. & l. & si. §. hæc autem actio. Et utiles, quia non gratia dominij, sed quasi, proponuntur. sunt & arbitrariæ, sicut superiores. Porrigũtur quoq; ultra annum, quia rei sunt persecutoriȩ: ut. ff. de act. l. in honorarijs.

DE HYPOTHECARIA ACTIONE.

TITV. XXI.

ENodatæ sunt superius actiones in rem, tam directæ quàm utiles, quæ gratia dominij, uel quasi dominij competunt. Nunc aduertamus de actionibus in rem, quæ causa pignoris expressi, taciti, iudicialis, atq; prætorij proponuntur. Sunt autẽ duæ: hypothecaria quæ quasi Seruiana uocat̃, & Seruiana. Exponamus itaq; [illegible] primis cui hypothecaria competat, & unde [illegible]atur, & in quem detur, & quid in eam ue[illegible]iat, & qualis sit actio. Hæc eadem & de Ser-

uiana dicemus. Nascitur autem hypothecaria iure honorario ex obligationis pacto: ut.ff. de pac.l.si tibi.§.de pignore. Competit autem persequẽti pignus hypothecaria directa hypothecaria creditori, cui res obligata est à domino, uel non domino uoluntate domini. Vtilis autem tunc competit, cum non dominus obligauit, rei tamen obligatæ dominium postea nactus est. Idem si dominus non domino qui obligauit successit: ut.ff.de pig.acti.l.rem alienam. &.ff.de pign.l.si Titius. Inter pignus autem & hypothecariam actionem, nihil interest, nisi in sono nominis: quippe utraq; pignoris appellatione continetur: ut Insti.de acti.§.inter pignus autem.&.ff.de pign.l.res. §.inter pignus autem. In arctiore autem significatione pignus appellatur, quod obligationis nomine sit traditum, mobile sit uel immobile. In arctissima autem significatione & proprie pignus rei mobilis constituitur, quasi à pugno deriuatum: ut. ff.de uer. signif.l.plebs.§.pignus. Hypotheca autem nuda conuentione contrahitur: ut Instit.de acti.§. inter pignus. Competit autem in quẽcunq; possidentem: ut.ff.de pign.l.si fundus. Quippe cum re ambulat, & in rem est: ut.ff.de pigno.l.pignoris. Venit autem in hanc actionem rei obligatæ restitutio cum fructibus post litem contestatam perceptis. Sanè de fructibus antecedentibus nihil iudex pronunciabit, nisi extiterint: ut.ff. de pigno.l.si fundus.§.interdum. Est autem in rem hæc actio, sicut dictum est, & arbitraria, ut Inst. de act. Præterea & prætoria, ut.ff.de pact.l.si tibi.§.de pignore. Extenditur autem alias usq; ad decem uel uiginti annos, puta aduersus bonæ fidei possessorẽ cum titulo: ut. C.si aduer.cre.l.f. Aliàs usque ad triginta annos, scilicet aduersus extraneum detentatorem carentem alterutro,

id est bona fide, uel titulo, uel utroque: aliàs usque ad quadraginta, id est, aduersus debitorem & eius hæredem: ut. C. de præscript. triginta anno. l. cum notissimi.

DE SERVIANA ACTIONE.
TITV. XXII.

NVnc de Seruiana loquamur. Seruiana actio dicta est à Seruio, qui eam introduxit. Competit autem Seruiana locatoribus domorum & fundorum, & eorum hæredibus, aduersus colonos inquilinosque, & eorum hæredes: sed & aduersus extraneos datur Seruianum iudicium. Saluianum quoque interdictum, quod est de pignoribus adipiscendæ possessionis causa proditum. Directum contra creditorem, & debitorem, & hæredes eorum, utile in extraneos: ut. C. eod. l. j. &. ff. de pig. l. si debitor. &. ff. de interdict. l. ij. §. sunt autem. &. ff. de Sal. inter. l. j. & ult. Veniũt autem in hanc actionem, res expressim obligatæ, sed & tacitè, puta inuectæ, illatæ, inductæque in domum, locatore conscio uel ignaro. In fundum ita demum, si scierit: ut. C. loca. l. certi. Est aùtem hæc in rem utilis, prætoria, & arbitraria: ut Insti. de acti. Et eatenus extenditur, quatenus hypothecaria.

PLACENTINI
DE PERSONALIBVS ACTIONI= BVS LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.



ILIGENTER SATIS'QVE compēdiose pertractatæ sunt hucusq; rerum uendicationes. Nunc transeamus ad explicandas personales actiones, quarum quædam reperiuntur directæ, aliæ contrariæ, aliæ utiles. Nullus tamen nos plenariè dicturos expectet, quid in has ueniat actiones, iure seu iudicis officio: ne, si singula diffusius prosecuti fuerimus, operis cœpti modus producatur in amplius, quàm proposuerimus. Verum quoniam prolixitas fastidium creat, nimia breuitas obscuritatem generat, inter utrunq; consistam, utiliter dilucideq; expositurus, quibus cōpetant, & quales sint, in quos dentur, & quanto tempore durent. Nec uero in audiēdis his omnibus, inq; legendis actionum uarietatibus, torpeat auditoris animus. Siquidem actionibus lis instituitur, instituta dirimitur, pecunia quæritur, quæsita seruatur, perdita recuperatur, iniuria illata propellitur.

DE DI

DE DIVISIONE PERSONALIVM ACTIONVM.

TITV. I.



ERSONALIVM ITAque actionum, aliæ descendunt ex contractibus, aliæ ex maleficijs, alię ex uarijs causarum figuris, ut superius diximus. De actionibus autem, quæ ex contractibus originē trahunt, utpote dignioribus, primū uideamus. Quippe cōtractus res sunt, maleficia uero siue uitia ab re sunt. Earū autē actionū, quę ex contractibus descendunt, aliæ rebus informātur, aliæ uerbis, aliæ literis, aliæ consensibus. Itē earum aliæ sunt, quibus præcise intenditur oportere dari uel fieri, hæ sunt cōdictiones. Aliæ sunt quibus non præcise agitur, sed & sub alternatione intēditur, ut fiat uel detur, aut interesse præstetur, ut in uenditis, locatis, similibusq;. De condictionibus, quæ obtinent monarchiam personalium actionum, & habent expressam formam, agamus primum.

DE CONDICTIONIBVS CERTI *propter mutuum, & quid certi appellatione contineatur.*

TITV. II.

Exponamus itaq; quid sit cōdicere, quidq; sit condictio, & quot modis condicatur. Condicere est denuntiare prisca lingua: ut in. ff. de actio. Moderna autem lingua & noua

nihil aliud est hodie condicere, quàm in personam agere. Sicq; nihil aliud est condictio, quàm in personam actio: ut. ff. de act. l. actionum. Inde est quòd omnis personalis actio non absurde potest uocari condictio. Nam & rerum amotarum actio in hac significatione dicitur condictio: ut ff. re. amo. l. rerum. iij. Obtinuit tamen per excellentiam, ut si absolute dicatur condictio, debeat intelligi certi indebiti, seu ob causam, uel quæcunq; aliarum quæ continent expressam formã personalium actionum. Condicitur autem aliàs certum, aliàs incertum, sicq; condictio, aliàs certi, aliàs incerti. Incerti condictio competit in tribus, puta si qs sine causa obligatus liberatus've incerti condictione agit, ut liberetur, uel in obligationem reponatur: ut. ff. de condic. sine cau. l. qui sine causa. Sed & in locum furtiuæ cõdictionis, quæ non nisi domino datur: ut. ff. de con. fur. l. j. Condictio incerti non dominis tribuitur, puta creditori, similibusq;: ut. ff. de cõ. fur. l. ideo. §. Neratius. Condictio autem certi generalis est, ex communi causa competẽs, ex qua certum debetur, siue ex causa contractus, uel quasi: siue ex causa maleficij, uel quasi: ut. ff. si cert. pet. l. certi condictio. Certum est quòd ex ipsa pronuntiatione apparet, quid, quale, & quantum sit: ut. ff. de uerb. oblig. l. stipulationum. Itẽ certum est cuius species uel quantitas, nomine proprio uel digito demõstratur, siue aliquibus uocabulis, quę uice proprij nominis fungantur: ut. ff. si cert. pet. l. certũ. Scinditur autem condictio certi generalis in duas species: altera cadit in nomen speciale, & uocatã Triticaria: altera stat in nomine sui generis, & uocatur certi cõdictio. Nam & aliæ adoptionis una species speciale nomẽ admittit, & uocatur arrogatio. Altera stat in nomine sui generis, & dicitur adoptio. Speciali autem certi

condictione repetitur pecunia data mutuo:nem pe mutuum non contrahitur,nisi pecunia profiscifcatur:ut.ff.si cer.pet.l.ij.§. item. Pecuniæ autem nomine,hic intelligimus omnes res, quæ in quantitate consistunt, puta quas numeramus, metimur,& appendimus. In his nanq; solis con sistit mutuum:ut Institu.quib.mo. re con. ob.in principio. Aliàs autem nomine pecuniæ omnes res significamus:ut.C.de const.pec.l.ij.&.C. de test.l.testādi.&.ff.de uerb.sig.l.pecuniæ.Ex prædictis colligi potest, qa tres sunt,ut ita dixerim, certi condictiones. Vna est, quæ uocatur Triticaria,qua species petitur ex quocunq; debito. Altera est, qua repetitur mutuum, non idem sed tantundem sub eodem genere,& peræquè bonū puta frumentum,oleum,aurum:ut.ff.si cer.pet.l. iij. Tertia est condictio qua petitur etiam pecunia numerata,stipulatione promissa, non ex mu tuo debita.Siquidem ex stipulatione duæ profiscifcuntur actiones. Vna uocat̄ ex stipulatu,quæ competit ubi quid incertum promissum est, puta insulam fieri,fossam fodi. Altera,uocatur certi condictio, qua petitur certa res. Et certe si res illa certa fuerit species,transit condictio certi in nomen speciale,& uocat̄ Triticaria.Si uero fuerit illa,certa pecunia, puta, alia'ue quantitas ea actione petitur, quæ constat in nomine generali, nuncupaturq; condictio certi: quæ certi condictio cum sit in sui generalitate præcipua, meritò ponitur in tractatu prima. De qua certi con dictione super mutuo specialiter prodita quod re contrahitur,audiamus.Exponamus itaq; cui competit,in quem,& qualis sit,& quatenus durat.Competit autem certi cōdictio propter mutuum ei qui numerauit pecuniā, aliam'ue quantitatem,eius quoq; hæredi:sed & ei, cuius nomi ne numeratū est, cōpetit directa certi cōdictio:

quippe hoc in casu ex pacto alterius, alteri quaeritur directa certi cōdictio, propter singula praecepta, quę sunt circa pecuniam creditam: ut. ff. si cer. pet. l. singularia. Sed & directa hypothecaria hoc in casu quęritur: ut C. per quas pers. nob. acquir. l. ij. Competit autem in eum directa certi condictio qui suscepit mutuum & in eius haeredem. In eum quoq; cuius nomine susceptum est. Vtilis autē datur ei, qui alterius nomine numerauit eo non habente ratum. In eum uero dirigitur utilis qui alterius nomine recepit, illo nō accommodante consensum: ut si cer. pet. l. ij. & iiij. Venit autem in hanc actionem, ubi condicā nō id quod datum est, sed tantundem, sicut & superius dictum est, & nihil amplius. Actione enim condictionis ea sola quantitas petitur quae pro fecta est: ut. C. de condict. indebi. l. ij. Nec tamen usura fœnebris pecuniae citra uinculū stipulationis petitur: ut. C. de usur. l. iij. nisi priuatis à ciuitatibus sit credita. tūc enim ex nudo pacto debētur usurę: ut. ff. de usur. l. etiā. In speciebus autem puta in fructibus aridis, uenit usura etiā per nudum pactum: magis tamen proprie dicitur accessio uel addimentū: ut. C. de usur. l. frumenti. Constat autem quod haec actio ciuilis est, & personalis, stricti iuris, & perpetua.

DE CONDICTIONE INDEBITI. TITV. III.

POst tractatum condictionis certi, quae intēditur nomine mutui, non incompetēter adnectitur condictio indebiti. Qui enim accipit indebitum re obligatur, & perinde sicut qui accipit mutuum: nisi quod haec obligationis species potius ex distractu, quàm ex contractu proficiscitur, siquidē qui solutū proponit, negotiū distrahit & non contrahit: ut insti. qui. mo. re cō

trah.obli.§. is quoq;. &.ff.de act.l. ex maleficiis §.is quoq;. Plerũq; tamen id accidit, ut extra id quod agitur tacita obligatio nascatur,ueluti cũ per errorem indebitum soluendi causa datur: ut ff.commo.l.si is.§.si libero. Competit autem cõdictio indebiti & directa & utilis. Directa competit ei,qui indebitũ soluerit,siue per se, siue per alium,& eius hæredi:ei quoq; cuius nomine solutum est. Datur autem in eũ, qui susceperit, & eius hæredem:in eum quoq; cuius nomine susceptum est. Vtilis autem datur ei,qui alieno nomine soluerit,illo non habente ratum.Sed & utilis datur alij, quam ei qui soluerit, puta si scriptus hæres soluerit testamento rupto, legitimus utiliter condicit: ut.ff.eo.l.idem.cum.l.seq. &.l. nec nouum. Datur autem utilis in eum, qui alterius nomine susceperit indebitum, illo non habente ratum.Sed & in eum,quẽ qui soluit,credidit procuratorem in rem suam factum:ut.ff.eo.l. si procurator.§.idem Labeo.&.C.eo.l.creditoris.Indebitum autem intelligo siue sit omni iure indebitum,siue naturale tantum.Nempe licet ciuiliter sit indebitnm, si tamen uel naturaliter sit debitum,solutum non repetitur:superest enim causa naturalis,quæ repetitionẽ inhibet:ut.ff.quod quisq; iur.in alium stat.l.sed quis.§.ult.&.ff.eo. l.naturaliter.&.l.si pœnæ.§.quamuis.Sed & indebitum intelligo,etiam si alij, uel ab alio sit debitum.non tamen ei,cui,uel à quo soluitur.Quãuis enim debitum sibi quis recipiat, tamen si is qui dat non debitum dat, repetitio competit: ut ff.eo.l.si pœnæ.§.quamuis.&.l.in summa.§.ult. ¶Aliquando tamen indebitum solutum non repetitur,à sciente puta:ut.ff.eo.l.j.&.l. si is. nisi minor ætas adiuuet. Sed & ex causa iudicati solutum non repetitur: ut.ff.manda.l. si fideiussor.§. in omnibus:nisi iudicatũ sit ex falsis instrumen-

tis,uel corruptis testibus:ut.C.si ex fal. instru.l. j.Ex transactione quoq; solutum non repetitur, nisi per falsum sit extorta,uel per calumniam:ut ff.eo.l.in summa. &.C. de transact.l. penult. Ex causa quoq; quæ per inficiationem crescit,& legati uenerabilibus locis relicti,indebitum solutum non repetitur:ut.C.eo.l.ea quę per.Sed & si ex pietate quid etiam indebitum soluatur, nō repetitur. Sublata enim falsa opinione, relinquitur pietatis causa,ex qua solutum repeti nō potest: ut.ff.eo.l.cum is.§.mulier.His autem casibus cessantibus,& si qui similes inueniantur, indebitū solutum repetitur, aliàs ex errore facti, aliàs ex errore iuris,puta in muliere quę intercessit:ut.ff. eo.l.qui exceptiōe.Aliàs si quis ancipiti animo soluerit:ut.C.eo.l.ult. Aliàs ex priuilegio personæ:ut.ff.eo.l.interdum.Reuocat autē hæc actio, aliàs id quòd solutum est,aliàs tantundem,aliàs soluti æstimationē,aliàs prorsus aliud,ut prædij fructū & pretiū:ut.ff.eo.l.si nō.Est aūt hęc actio ciuilis,naturalis tantū:ut.ff.eo.l.indebiti primo responso. personalis, stricti iuris,& perpetua.

DE CONDICTIONE TRITICARIA. TITV. IIII.

SEquitur ut uideamus de condictione Triticaria.Competit autem Triticaria ei,cui debetur quæcūq; res,& ex quacūq; causa, præter pecuniam numeratam,siue sit res mobilis,siue immobilis:incorporalis etiam, puta usus fructus:ut.ff.eo.l.j.Ita tamen res petitē hac actione,si fuerit certa & aliena: quippe rem suam nemo condicere potest,prætérquā à fure:ut.ff.quēadmo.usufruct.ca.l.ult.nisi forte ratione possessionis,& res propria dicatur:ut.ff.eo.l.ij.&.ff.de condict.inde.l.indebiti.Competit autem Triticaria in eum, qui debet speciē quācunq;, & eius

hæredem,non distincta causa,sed nec re dummo do fuerit,sicut dictũ est,& certa & aliena.In hac autem actione si quæratur res, quæ petita est,cu ius tẽporis æstimationẽ recipiat,uerius est quòd omne tẽpus spectetur, præsertim si fuerit species debita & inæstimata.Idem si æstimata,si tamen is,cui debetur,malit rem,possit petere.In quan titate non distinguitur, fuerit æstimata nec'ne, sola quippe pecunia numerata à nexibus huius actionis excipitur:& certe si quãtitas æstimata debebatur,sola æstimatio præstabitur,nisi fortè usura accesserit:nempe debitor contrarium non postularet.Est autem hæc actio personalis,ciui lis,stricti iuris,& perpetua.

DE CONDICTIONE DATORVM OB CAVSAM.

TITV. V.

SEquitur ut dicamus de cõdictione datorum ob causam,siue ob rẽ datã,faciendã 'ue, futu rã & honestã. Superior enim cõdictio,id est indebiti,respicit in præteritũ,hęc contẽplabitur in futurũ.Cõpetit autẽ ob causam directa cõdi ctio ei,qui dedit ob causam causa nõ secuta, suo quoq; hęredi:ei quoq; cuius nomine ob causam datũ est.sed & si causa fuerit secuta,nõ tamen iu re,hæc cõdictio habet locũ: ut.ff.eo.l.iij.§. si li ber.Datur aũt in eũ directa ob causam cõdictio qui suscepit,& eius hæredẽ:in eũ quoq; cuius no mine susceptũ est.defectus ergo causæ huius con dictionis,causa est, id est cessatio, sed & mora, pręter morã quoq; eius q facturus fuerat,licebit ei pœnitere q dederit,si tñ eius dũtaxat gratia ne gotiũ cõtractũ fuerit:ut.ff.eod.l.v. Vtilis datur ei,qui alieno noĩe ob causam dederit, alio nõ ha bẽte ratũ.Vtilis daẗ in eũ,q alieno noĩe suscepit illo ĩfirmãte negotiũ.Illud sanè notãdũ est,quo

niam illud quod datur ob causam causa non secuta, cum datur ex contractibus duntaxat innominatis praeter quàm ex donatione quae conditioni ob causam mixta est: ut. C. eo. l. ea. Nisi forte innominato contractu id conuenerit: ut. C. de pact. inter empt. l. iij. &. C. de contrahen. empt. l. si dolo. Sed & ubi dolus dederit causam contractui, puta uendicationi, ex empto agitur, & fortassis condictione, ut res uendita reddatur: ut. ff. de act. emp. l. tenetur. Ciuilis est haec actio, personalis, stricti iuris, & perpetua.

DE CONDICTIONE OB TVRPEM CAVSAM. TITV. VII.

Condictio ob turpẽ causam directa ei cõpetit, qui dederit ob turpẽ causam, & suo haeredi: ei quoque cuius nomine datũ est, in eũ dirigit̃ qui acceperit, & suũ haeredẽ: in eũ quoque cuius nomine acceptũ est. Vtilis autẽ dat̃ ei qui alieno nomine dederit illo nõ habẽte ratũ. in eũ datur utilis, qui alieno nomine suscepit, illo nõ accõmodãte cõsensum: & hoc procedit, siue res secuta fuerit, siue nõ. Ita demũ condictio ob turpem causam cõpetit, si turpitudo contigat solũ accipientẽ, puta si quis accipit numum, ut restituat depositũ. si uero turpitudo contingit solum dantẽ, condictio cessat, puta si quis meretrici dederit ob coitũ. licet enim meretrix, turpiter facit quia est meretrix: noua tamen ratione minus turpiter facere credit̃, quòd accipit cũ sit meretrix: ff. eo. l. idẽ. §. sed quod. Et ubi uterque turpiter agit cõdictio cessat. In pari eñ causa potior est cõdictio possidẽtis: ut. ff. de excep. do. l. apud. §. Marcellus. &. ff. de condic. ob turp. cau. l. si ob turpẽ. &. ff. ne quis. l. ij. Haec condictio, ciuilis actio est & personalis, stricti iuris, & perpetua.

DE CONDICTIONE FVRTIVA.
TITV. VII.

NVnc audiamus de condictione furtiua, quæ soli domino competit, & eius hæredi, & in solum furem, & eius hæredem. Is enim qui præbuit opem licet teneat furti actione, non tamen conuenitur furti condictione: ut ff. eo. l. v. & ff. de uer. sig. l. sæpe. Habetur autem ratio & eius quod interfsit agentis, ueluti si hæres fuerat institutus seruus, & periculum subeat dominus hæreditatis perdendæ: sed etiam si seruus subtractus fuerit mortuus, dominus consequitur hęreditatis pretium, sed & serui, in quantum unquam post furtum factum plurimi fuerit. Semper enim fur moram facere uidetur: ut. ff. eo. l. in re. §. si ex causa. & l. condicatur. Quæri solet unde hæc condictio nascatur, & certe ex cōtractu non oritur, quippe noxalis datur, & non nisi in quantum peculium locupletius factum est: ut ff. eod. l. si seruus. & ff. de pecul. leg. l. licet. §. ex furtiua causa. Sed nec ex maleficio oritur hæc actio, quia rei dnntaxat habet persecutionem: ut. ff. eod. l. si pro fure. §. condictio rei furtiuæ. Sed & quia in hæredem furis datur, siue res ad eum peruenerit furtiua, siue non: ut. ff. eod. l. in condictione. Sed & si seruus quid surripuit, liber factus eius nomine furtiua condictione, licet furti sit actio, non conuenitur: ut. ff. eod. l. si seruus. Accedit his tribus argumētis quartum, quare scilicet condictio nō sit ex maleficio. Ecce enim si plures rem unā subtraxerint, & unus rem unam restituit, uel eius æstimationem, cæteri liberati sunt cōdictione furtiua: ut. C. eo. l. j. Vbi autem agitur actione ex maleficio, puta ex lege Aquilia, quod alius præstitit, alium nō releuat, cum sit pœna: ut. ff. de lege Aquilia. l. item

Mela.§.sed si seruum. Cum ergo condictio furtiua, ex contractu non proficiscitur, nec ex maleficio, sicut ostendimus, constatque quia nec ex quasi contractu, uel ex quasi maleficio, necesse est ut aliunde nascatur, sicque ex uarijs causarum figuris, sicut superius diximus, oriri dicatur. Condictio autem furtiua non inuenitur utilis, sed in locum directæ incerti cōdictio tribuitur, non domino cui res surrepta est, ut & superius dictum est:ut.ff.eo.l.& ideo.§.Neratius.Est autem hæc condictio personalis,& ciuilis, & perpetua,& stricti iuris.

DE CONDICTIONE EX LEGE.

TITV. VIII.

Condictio ex lege erit, cum obligatio lege noua introducta est, nec in lege cautū est, quo genere actionis experiamur,in donatis puta,sicut & superius dictū est. Sed & aduocatus honorariū sibi simplici pacto promissum ex cōdictione ex lege petere debet: ut.C.de suffra.& nō actione locati.Philosophia enim mercenariam operā spernit,& ciuilis sapientia,quæ pretio numario non est æstimanda,nec dehonestanda,locationis uinculum aspernatur:ut.ff.de uar.cog.l.j.§.an Philosophi.Nam nec inter mensorē, & eum qui mensoris opera utitur, locationem contrahi ueteres crediderunt:quodque datur mensori, nō merces sed honorarium appellatur: ut.ff.si men.fal.mo.l.j.§.ideo autem.

DE CONDICTIONE SINE CAVSA VEL INIVSTA CAVSA.

TITV. IX.

Restat ut de cōdictione sine causa & ex iniusta causa dicamus. Competunt autem istæ duæ condictiones, & ubi cæteræ cō

petũt,& ubi nulla aliarum competit. Datur autem hæc condictio ei, cuius quid apud alterum sine causa deprehẽditur, & in eũ datur, qui quid ad alium pertinẽs habet, aliàs respectu proprietatis, aliàs respectu possessionis. Competit autẽ siue ab initio causa nulla fuerit, nullaq; est, puta si quis ex chirographo se obligauerit, nihilq; acceperit, cõdictione sine causa chirographum condicit. Sed & si causa præcesserit finitaq; est, puta si is qui accepit solum chirographum, recte condicit. Sed & si causa dandi iusta fuerit, rediĳt tamen ad iniustã, condictio sine causa uel iniusta causa cõpetit. Ecce enim si fullo uel cõmodatarius uestimentis amissis, domino pretiũ præstiterit, posteaq; dominus uestimenta inuenerit, pretium quod datũ est condicitur, aut rem recuperatam pręstare dominum oportebit, utrũ maluerit: ut. ff. eo. l. j. §. fi. & l. ĳ. & C. eo. l. dissolutæ. & ff. commod. l. incommodato. §. ult. Sed & si conuentus cõmodatarius condemnatusq;, si nondum exoluerit, aduersus dominum iudicati agentem recte excipiet, si id, quod furto uidebatur amisisse, receperit: ut. C. de re iudi.

DE COMMODATO.

TITV. X.

EXplicitę sunt superius cõdictiones omnes, quarum quædam ex contractibus descendunt, qui re contrahunt, ut condictio certi. Aliæ ex quasi contractibus, ut in cõdictione indebiti. Nunc ponamus de alĳs actionibus, quæ similiter non nisi rebus interuenientibus locum habent, ut actio commodati, & pignoratitia, & depositi, & de alĳs si quæ tales inueniantur. Et primum de actione commodati, quia celebrior est iste cõtractus atq; utilior. Commodati autẽ actio & directa inuenitur, & utilis, & cõtraria.

Directa commodati actio ei competit qui commodauit, & eius hæredi, in commodatarium, & eius hæredem. Vtilis competit ei, cuius nomine commodatum est ad instar fortè depositi: ut. C. ad exhib. l. penul. Sed & patri dominoq́ si filius commodauit seruus'ue. Datur quoq; utilis non domino, puta si seruus, quem bona fide quis possidebat, uel in quo usumfructum habebat, commodauerit. Datur autem utilis in eum, qui loco hæredis ponitur, puta in bonæ fidei possessorē, & in eum cui ex Trebelliano senatusconsulto restituitur hæreditas. In pupillum quoq; locupletiorem utilis datur: ut. ff. eod. l. iij. primo responso. Venit autem in actionem directam commodati & utilem res commodata, eiusq́ sequela, dolus omnis, culpa, diligentia, custodia. Aliquando tamen solus dolus uenit, puta si commodatarij tantum gratia commodatum fuerit, id'ue conuenerit. Fortuitus autem casus nō uenit, nisi pacto promissum fuerit, aut nisi commodatarius nullo suo uitio inciderit: ut. ff. eod. l. si ut. §. nūc uidendum. Contraria commodati cōmodatario competit, siue quod in rem commodatam impenderit, nisi modica impendia fecerit: uel si damnum passus est per rem commodatam, puta per seruum si commodatum intempestiuè fuerit reuocatum: ut. ff. eod. l. in commodato. & l. in rebus. & l. si seruus. Quod autem cōtrario iudicio cōsequi potest, id etiam si directa secum agitur, iure compensationis saluum faciet: ut. ff. eod. l. in rebus. §. quod autem. In summa distinguendum est, scierit, nec'ne, seruū commodatum esse furem, per quem commodatarius furtum passus est. Nam si scierit, cōmodati contraria tenebitur ad interesse: si non scierit, liberum erit ei seruum pro noxæ deditione relinquere: ut. ff. eo. l. si seruum. Et sciendum est quòd

etiam furi & prædoni competit actio commodati: sed & depositi: ut. ff. eod.l.ita.ff.depo.l.j. §.si prædo. Ex improbitate tamen, nec sic fur & prædo consequetur agendi potestatem, sed ratione contractuum in quibus bona fides exuberat. Est autem hæc actio personalis, bonæ fidei, & perpetua.

DE PIGNORATITIA ACTIONE.

TITV. XI.

SEquitur ut uideamus de pignoratitia actione. Pignoratitia inuenit directa, utilis, contraria. Directa pignoratitia competit debitori, qui rem propriã pignori dedit, alienam'ue, dñi tamẽ uolũtate præcedẽte uel sequẽte. Tunc enim alienæ rei pignus tenet: ut.ff.eod.l.aliena. Debitoris quoq; hæredi directa competit. Vtilis datur ei, cuius filius seruus'ue rem obligauerit. Datur autẽ utraq;, scilicet & directa & utilis in creditorem & suum hæredem. Datur autem debitori directa siue utilis, aliàs ex suo facto, aliàs ex facto creditoris. Ex suo facto, puta si soluerit, uel aliter, prout uoluit, creditori satisfecerit. Nec enim aliàs satisfacere paratũ esse debitori prodest: ut.ff.eod.l.si rem.&.l.quod si. Soluit autem debitor, aliàs naturaliter, ut si numerat: aliàs ciuiliter, ut si remittit ei creditor: uel ipso iure, ut per acceptilationem: uel exceptione, uel simplici pactione. Ex facto creditoris pignoratitia debitori datur, si ex re pignorata fructũ creditor perceperit, in'ue eam damnũ dederit: ut.C.eo.l.j.& vj. Creditori ex facto debitoris contraria datur, puta si rem alienam pignorauerit, uel alteri obligatam: ut.ff.eod.l.si rem. primo responso. &.l.tutor. §. contrariam. nisi ad modicum æris res ampla fuerit pignorata: ut.ff.eo.l.si quis.§.sed & si quis. Ex facto cre=

ditoris cōtraria creditori competit, si in pignus impenderit:ut.ff.eod.l.si necessarias. Illud sanè prætermittendum nō est, quòd post solutionem demum, uel id quod pro solutione habetur, pignoratitia nascit:ut.ff.eod.l.si rem.§.omnis pecunia. Nec ergo pignoratitiam creditor prescriptione sustulit, & si per quadraginta annos plures'ue pignus habuit: nec obloquitur quod dicitur, ius offerēdi ulterius locum non habiturū. Ius enim offerendi in secundo tantum creditore legitur. Sed & si quis instet, dicatq;, debitorem indignum fore pignoratitia post tringinta uel quadraginta annos, cū debitor uoluerit soluere, uel aliàs satisfacere, sicq; efficere ut pignoratitia nasceretur, nullatenus mouet: alioquin filius emancipatus non ageret, qui in patris potestate per triginta annos mansisset, si ut emanciparetur non studuisset, quo nihil falsius est. Nemo enim poterit incusare filium si non egerit, cū nec, si uoluerit, obuiāte patria potestate, potuerit:ut.C.de anna.excep.l.j.in fi. Est autē pignoratitia, personalis, bonæ fidei, & perpetua.

DE ACTIONE DEPOSITI. TITV. XII.

Actio depositi directa inuenitur, utilis, & contraria. Directa cōpetit deponenti & eius hæredi. Vtilis dat, aliàs ratione rei, puta propter ea quæ principaliter deposita non sunt, ut propter capistrum, pullum, & ea quæ in cista fuerant:ut.ff.eo.l.j.§.quæ depositis. &.§.si cista. Alias cōpetit ratione personæ, puta si seruus bona fide possessus, fructuarius seu hæreditarius deposuit:ut.ff.eo.l.j.§.nō solum. &.§.itē. Sed & extranei pacto, puta si rem meam deposuit, legēq; dixerit, ut mihi restituat, utilis actio depositi mihi iure singulari competit; ut. C.ad

exhi.l.penult. Dirigitur utraq; in depositarium & eius hæredem,sed & in dominũ patremq; uel peculiotenus, nisi filius emancipatus seruus'ue manumissus,depositam rem teneat:ut.ff.eod.l.j. §.filiumfamil.&.l.si apud.Contraria autem depositi depositario datur, si in rem depositã impenderit, uel per eam damnum passus est, ut de pignoratitia dictum est. Venit autem in actione depositi, tam directa quàm utili, etiam dolus si in contractu conuenerit:ut.ff.eod.l.j.§.si conueniat.&.§.si quis.Et dolus solus lataq; culpa: ut ff.de reg.iur.l.cõtractus.&.ff.eo.l.quod Nerua. Culpa autem leuis nõ uenit, nisi id conuenerit, uel depositarius se obtulerit:ut.ff.eo.l.j.§. sæpe. uel nisi pretium depositionis acceperit: ut.ff.ui bo.rap.l.ij.§.si in re deposita.uel nisi depositarij gratia depositum fuerit:ut.ff.si cert.pet.l.iiij.Est autem hæc actio personalis & bonæ fidei:ut Insti.de acti.§.actionum autem.&.ff.eo.l.j.§.hanc actionem. In simplum & perpetua, nisi depositum sit causa tumultus, incendij,ruinæ, naufragij. His enim in casibus in duplum datur, ex inficiatione aduersus depositarium, & aduersus eius hæredem ex suo proprio dolo. Ex dolo autem defuncti depositarij,hæredes eius nõ tenentur,nisi in simplum,& intra annum:ut Instit.de acti.§.in duplũ.&.ff.eo.l.j.&.l.quod tumultus.

DE ACTIONE DEPOSITI SEQVESTRARIA.
TITV. XIII.

EST & quædam etiam specialis actio depositi, quæ appellatur sequestraria, qua cum sequestro agitur,cuius fidẽ, qui deponunt, plures tamen,sequuntur: ut.ff.eo.l.proprie.&.l. si in alia.§.cum sequestro. &. ff.de uerbo.signif.

l.sequester.Sequestratio enim specierum admissa eit, licet prohibita sit sequestratio pecuniæ: ut C.de prohi.sequestra.pec.

DE RERVM PERMVTATIONE *& præscriptis uerbis actione.*

TIT. XIIII.

ET quia permutatio re cõtrahitur, à re quoque initiũ sumit, & ex permutatione quædam præscriptis uerbis actio nascitur, de hac præscriptis uerbis actione dicamus. Competit autem ei, qui speciẽ dederit, ut aliam speciem certam acciperet: hoc quoq;, si non acceperit, uerum est: siue quidem acceperit, ei tamen euicta est. Nam cum ex emptione debeatur euictio, ex permutatione quoque debebitur, quæ olim fuerat uetustissima emptio. Ex permutatione quoque, sicut ex emptione, sequitur dominij translatio: procedit & usucapio. Differt autem permutatio ab emptione, quia emptio nuda consentientum uoluntate perficitur: permutatio, re demum contrahitur. Item emptor cogitur numos facere uenditoris, permutatori autem sufficit possessionem tradere, seq; per euictionem obligare, id est ut adsint, & absint quæ adesse & abesse in uenditione oportebit: ut.ff. eod.l.j.&.ij. Est autem hæc actio, scilicet præscriptis uerbis, quæ proponitur de permutatione, bonæ fidei: ut Institu. de actio. §. actionum autem. Ciuilis & personalis, & ex contractu nascitur innominato: ut.ff.eo.l.j. Nec enim duntaxat, ut fiat quod conuenerat, præscriptis uerbis agitur, sed & quod datum est, condicitur: quod sicut superius dictum est, non nisi innominatis contractibus præterquam in donatione, contingit.

DE PRAE

DE PRAESCRIPTIS VERBIS
actione, quæ de æstimato proponitur.
TITV. XV.

ITem præscriptis uerbis, quæ proponitur de æstimato, ex contractu oritur, qui re perficit. Competit autem hæc actio ei qui rem æstimatam uendendam dederit, in eũ qui acceperit. Tenetur autem qui accepit, ut aut rem ipsam incorruptam restituat, aut æstimationem, de qua conuenit, præbeat: ut. ff. eo. Tenetur quoq; idem rei susceptæ periculo. Hoc tamẽ intelligo ita, si periculum contingit non casu fortuito, qui ex ordine naturæ in nullo bonæ fidei iudicio prę statur. Tenebitur autem si res perierit uel sua culpa leuissima: uerum hoc ita, si uel is qui accepit, rogauerat, eius'ue gratia hoc ciuile negotium gestũ fuerat. Si uero ille qui dedit, rogauit, eius periculo res est: aut neuter, periculum culpa contingẽs iure communi præstabitur: ut. ff. si cert. pet. l. rogasti. & ff. de præscrip. uer. l. si gratuitã. §. si margaritas. Est autem hæc actio personalis & perpetua, & ciuilis, & bonæ fidei: ut. ff. eo. & Insti. de act. §. actionum autem omnium.

DE PRAESCRIPTIS VERBIS
actione, quæ ex do ut facias innominato contractu oritur.
TITV. XVI.

EX do quoq; ut facias contractu innominato, qui & re perficitur præscriptis uerbis actio oritur, quæ competit ei qui dederit, ut quid possibile tamen, & honestũ, quis sibi faceret: quo uero facto, non tãtum præscriptis uerbis agitur, sicut & de permutatione diximus, sed & quod datum est, condicitur. Hoc ita, si aliud quam pecunia, detur: uel in specie pecunia. Sed

aliquando si pecunia detur ut quãtitas,id est ad numerum,ut quid fiat nõ locati.utpote locatione cessante,sed præscriptis uerbis agitur. Cessat autem locatio ubi etiam pecuniã quis numerat ut aliquis quid sibi faciat:aliàs ratione personę, aliàs ratione rei. Ratiõe personæ,puta quod qui facturus fuerat, locare operas suas solitus non erat. Ratiõe rei,id est facti, locatio cessat,si quis quid dederit ad manumissionem, uel aduocationem:hæc enim locationem non recipiunt: ut.ff. de præscriptis uer.l.naturalis.§. at cum do.&c.ff. de uar.cog.l.j.§.in honorarijs.Est autẽ hęc actio ciuilis,psonalis, & perpetua, & stricti iuris. Nã cum in.ff.dicatur præscriptis uerbis actio, quæ de æstimato & permutato redduntur fore bonæ fidei,relinquitur per cõtrarium intellectum certas præscriptis uerbis actiones stricti iuris esse.

DE PRAESCRIPTIS VERBIS *actione,quæ ex do ut des innominato contractu proponitur.*

TITV. XVII.

Ex do quoq; ut des innominato contractu, qui re similiter contrahitur,quarta præscriptis uerbis actio nascitur. Competit autẽ ei,qui quid dederit, ut sibi inuicem alius daret. Competit autem in eum qui accepit, nec dedit: uel si id,quod dedit,euictum sit illud sanè nõ argutè distinguitur. Quod si pecuniã dedi sub numero,tamen,ut rem acciperem & in genere,non dumq; etiam in rebus humanis constitutam,emptio & uenditio est:ut.ff.de præscriptis uerbis.l. quinta.Si uero rem dederim,id est speciem,ita ut certam acciperem speciem, permutationis contractus initur:ut.ff.eodem.Si uero speciem dederim,seu pecuniam ut speciem,ita ut rem accipe-

rem non certam, sed & in genere, puta unam de rebus suis, quas in domo habet, qui mecum contrahit, contractus initur, qui in appellatione generali consistit, & do ut des simpliciter uocatur. Articulus ergo iste: do ut des, sicut dictũ est, trifariam spargitur. Est autẽ hæc actio, scilicet quę nascitur ex do ut des, sicut & ea quæ nascitur ex do ut facias, ciuilis, perpetua, personalis. De reliquis duabus, puta de ea quę ex facio ut facias, & facio ut des, innominato contractu oriuntur, uide paulò inferius in titulo decimosexto, & septimo eiusdem libri.

DE VERBORVM OBLIGATIONIBVS. TITV. XVIII.

PErtractatæ sunt actiones personales ex cõtractibus proficiscentes quæ rebus contrahuntur, nunc quæ uerbis conficiuntur. Et certe uerbis stipulatio contrahitur ex interrogatione & responsione congrua: ut Institu. eodem in principio. Et ex ea nascitur actio gemina scilicet certi condictio, & actio quæ ex stipulatu uocatur. Vt uero stipulatio definiatur, diuidatur, cõtrahatur, committatur, purgetur, & quot modis responsio incongrua sit æstimanda, in summis quas fecimus, exposuimus. Cum itaq; de certi condictione superius dictum sit, de actione ex stipulatu agamus. Et sciendum est, quia actio ex stipulatu inuenitur directa, & utilis, expressa, & tacita. Directa competit ei, qui stipulatus est, & eius hæredi, quid incertum: & datur in promissorem, & eius hæredem. Vtilis competit ex stipulatione filij, serui, tutoris, curatoris, procuratoris, institoris, magistri nauis, orphanotrophi, syndici: ut. ff. de prætor. stipulationibus. & ff. de damno infecto. & de instito. Expressa ex stipulatu actio competit, si quis expressum sibi

ſtipulatus eſt: uel ſi filius, ſeruus'ue patri uel domino. Item ſi tutor, curator'ue, uel ſimilis perſona. Tacita autem ex ſtipulatu actio inducitur aliàs ex præſumptione, aliàs ex fauore. Ex præſumptione, puta ſi inſtrumentum perhibetur interceſſiſſe reſponſionem, probabiliter intelligitur præceſſiſſe interrogationē: ut Inſti. de inuti. ſtipu. §. item uerborum obligatio. & C. eo. Ex fauore inducitur tacita ex ſtipulatu actio, ut in dotibus petendis & repetēdis: ut. C. de rei uxo. act. l. rem in præſenti. Sed ubi quiſquam arrogauerit nec ea, quæ ipſi arrogato uel eius neceſſarijs promittere debet, promiſit, utiliter ex ſtipulatu agetur: ut. ff. de adop. l. his. Sed & ſi damnum contigerit, cum prætor ſuper cautione damni infecti interponenda deliberaret, utilis puta, & tacita ex ſtipulatu actio competit: ut. ff. de dam. infect. l. ſi finita. §. eleganter. Sed & fideiuſſores à tutoribus nominati, ſi præſentes fuerunt & non contradixerunt, & nomina ſua in acta referri paſſi ſunt, perinde tenebuntur, atq; ſi iure legitimo ſtipulatio īterpoſita fuiſſet: ut. ff. de fideiuſ. tuto. l. iiij. §. fideiuſ. Venit autem in hanc actionem id ſolū, quod promiſſum eſt: ut Inſt. de oblig. quæ ex quaſi contr. §. fi. niſi propter cauſam quæ præceſſerit, puta propter emptionem, ſtipulatio fiat tunc enim ſtipulatio etiam uacuam poſſeſſionē tradit, non nudum factum, ſed etiam cauſam bonorum continet: ut. ff. eo. l. in conuentionalibus. Eſt autem hæc actio ciuilis, perſonalis, ſtricti iuris: niſi in dote, & perpetua. Item actio ex ſtipulatu, alia eſt principalis, puta qua tenentur promiſſores, id eſt principales rei debēdi: alia eſt acceſſoria, qua ſcilicet tenentur ad promiſſiones fideiuſſores. Admittit interdū hæc actio, id eſt ex ſtipulatu accidentale nomen, uocaturq; arbitraria. Competit autem ſtipulanti, & ſuo hæredi, in

eum qui promisit certo loco, eiusq; hæredi: ut. ff. de eo quod cer. lo. Post moram demum: ut. ff. eo. l. ult. Introducta est autem hæc actio, ut promissoris malitiæ eatur obuiam. Iniquum enim erat, si promissor in loco destinato nunquam inueniretur, sicq; stipulator suum non consequeretur: post itaq; non in promissoris est arbitrio ubi uelit soluere, sed in stipulantis, ubi uelit petere: ut ff. eo. l. ij. & l. ult. Vbiq; ergo arbitraria agi potest: ut. ff. de consti. pec. l. si duo. Venit autem in hanc actionem quod interfuit, etiam ultra legitimas usuras: damni quoq; & lucri habetur ratio quod interfuit alterutrius loco suo potius quàm in eo, in quo petitur solui. Fit autem arbitraria non tantum ex stipulatu, sed ex quacunq; stricti iuris actione propter loci adiectionẽ, ut. ff. eo. l. si hæres. & l. aut. Bonę fidei, non fit arbitraria. Talis est autem arbitraria, & tanto tempore durat, qualis est simplex ex stipulatu.

DE LITERARVM OBLIGATIONE. TITV. XIX.

Literis quoq; contrahitur obligatio, puta per chirographum, & ex ea obligatiõe nascitur certi condictio. Ex chirographo ei, qui quem chirographo obstrinxerit, in eum datur qui se chirographo obligauerit, spe futuræ numerationis. Tenetur autem is intra biẽnium efficaciter, propter exceptionem non numeratæ pecuniæ. Post biennium cum effectu, nisi intra biẽnium iuri in testando sit paritum. Biennium enim pro numeratione habetur, & obligationis substantiam implet, biẽnioq; transacto, obligatio, quæ fuerat tantum ciuilis, efficitur naturalis adeoq;, ut si debitor paratus sit probare se pecuniam nõ accepisse, restrictis calumniarũ fomentis, audiri nõ debeat. Nam & si pupillus fuerit,

post biennium omnino compellendus est soluere: ut. C. de non num. pec. l. in contractibus. Creditor autẽ, qui scripsit se recepisse, aliàs nulla exceptione siue replicatione iuuatur, puta si scripsit se recepisse dotem, tributa, depositum: aliàs biennij tẽporis exceptione munitur, xxx. scilicet dierũ pro fœneratitijs, uidelicet debitis, quę sibi scripsit esse soluta: ut. C. de non nu. pec. l. in contractibus. Est autem hæc actio ciuilis, & personalis, & stricti iuris.

DE ACTIONE MANDATI, VEL CONTRA.
TITV. XX.

Restat ut uideamus de actionibus, quæ ueniunt ex cõtractibus, qui contrahũtur puris & nudis cõsensibus: id est nõ intercedẽtibus extrinsecus quibuscũq; adminiculis superius expositis, rerũ scilicet uel uerborũ, uel literarũ. Et quia in libro responsorũ constitutionũq; prius agitur de mandato, primũ de actione mandati dicamus. Nam & mandatũ, sicut cõmodatum, quod suprà prius est pertractatũ, est gratuitum. Inuenitur autẽ mandati directa, utilis, contraria, expressa, tacita. Directa cõpetit mandãti & suo hæredi in mandatariũ & suũ hæredẽ. Vtilis cõpetit ex alterius mandato, puta filij, serui, & procuratoris. Cõtraria datur mandatario & hæredi eius. Expressa cõpetit, siue sit mandata tibi mea gratia tantũ, siue aliena tantũ, siue mea & aliena, siue mea & tua, siue tua & aliena. Tacita mandati cõpetit, si quis, puta fideiussit pro quopiã præsente & patiẽte: ut. ff. eo. l. si remunerandi. §. si passus sim. Sed & qui patitur ab alio mãdari, ut sibi credatur, dare itelligitur: ut. ff. eo. l. qui patitur. Sed & si unus ex reis debẽdi soluerit, cũ se & alterũ liberauerit, mãdati tacita expe

ritur:ut.ff.ad Velle.l.nec intereſt.Sed & in ſtipu
latione adiectus,ſi ei ſolutū fuerit,tacita manda
ti à ſtipulāte conuenitur:ut.ff.de uer.obli.l.Iulia
nus.Eſt aūt dictum mandatū, quaſi manu datū.
Inde eſt ut id demū quis debeat mandare, quod
ipſe iure ualeat explicare:ut.C. de peda. iudi.l.j.
Cōpetit autē mandati actio qualiſqualis, ita de
mum ſi interſit, & quatenus interſit: ut.ff.eo.l.ſi
procurator.§.mādati actio. Veniūt aūt in actio
ne mādati tam utilis, quàm directa expreſſa, uel
tacita,puta prædij empti traditio:ut.ff. eodē.l.ſi
procuratorē.Sed de ſuo facto cauere debet:ut.ff.
eo.l.de tuo. periculū eſt ne pignorauerit uel ma-
numiſerit ſeruū:ut.ff. de rei uen.l. ſi poſt. Pretiū
quoq; quod de re redegerit ex mādato diſtracta.
Conſequēter quoq; dominis debere mādatariū
prꝭſtare quantūcunq; emolumentū ſenſit,ſiue ei
mandatū ſit,ſiue nō, quia bonæ fidei cōgruit ne
de alieno lucrū ſentiat,ſed & in uſuras cōueniēt
quæ legitimo modo in regionibus frequētantur
uſurarū quoq; uſuras:ut.ff.eo.l. idēq;.§. ſi ꝓcur.
Hoc aūt procedit,ſiue in mora fuerit reſtituendi
pecunias,ſiue eas in ſuos uſus cōuerterit. Cōtra
rio aūt iudicio experiē mādatarius, ſi ſuo pretio
mādanti rē emerit,uel aliàs in rē ex mādato q̄ſitā
impēderit:ut.ff.eo.l.ſi uero.§.ſi mihi. Vſura quo
que ueniet in mādati cōtraria, puta ſi iam abſit,
uel ad eā prꝭſtandā obligatus ſit. Nā & id abeſſe
intelligiē,ad quod qs obligatus eſt:ut.ff.de neg.
geſt.l.ſi qs.Sed & abeſſe intelligiē pecunia fide-
iuſſori,etiā ſi debitor ab eo delegatus ſit credito
ri,licet is ſoluēdo nō fuerit, qa bonū nomē facit
creditor q admittit debitorē delegatū:ut.ff.eo.l.
inter.§.abeſſe.Imputet ſibi qui admiſerit talem,
ipſumq; idoneū eſſe cōprobauerit:ut.ff. de fide-
iuſ.l.iij.In cōtraria quoq; mādati ex mora appli
cabitur uſura, ſed & ſi propriā pecuniā manda-

tarius impenderit, usuras: ut. ff. eod. l. si uero. §. si mihi mandaueris. si tamen fœnerare solitus fuerat: ut. ff. de usur. l. qui semisses. Sed & in contrario mādati iudicio damni habetur ratio. Nam si seruus, quem mādato tuo emeram, damnū dederit mihi, ipsum pro noxe deditione debebis penes me relinquere, si tamen id sine culpa tua acciderit: quod si scisses talem esse seruum, nec prædixisses, ad interesse teneberis: ut. ff. eo. l. iter. §. sed cum seruus. Est autem mandati actio ciuilis, personalis, & perpetua, bonę fidei: ut Institu. de act. §. omnium autem actionum.

DE ACTIONIBVS PRO SOCIO. TITV. XXI.

ET quia socius non tantum suum, sed alienum quasi ex mandato, gerit negotiū, subijciamus illico de actionibus pro socio. Intenditur autem directa pro socio actio ex utroq; latere: competit quoq; pro socio, socio, & suo etiam hæredi, & in socium suum, & suum hæredem: ita tamē si tractatu habito societas sit coita: ut. ff. eo. l. nam. Nascitur autem hæc actio dissoluta demum societate: ut. C. eo. l. tam diu. Nec intenditur ea durante, nisi in causa uectigalium: ut. ff. eodem. l. actione. §. nonnunquam. Habetur in hac actione ratio perceptorum impēdiorum, & damnorum: pro socio enim actio non ad diuisionem sed ad personales pertinent inuicem præstationes: ut. ff. commu. diuid. l. prima. scilicet ut lucra, & damna communicentur: ut. ff. eo. l. quibus. & l. pro socio. & l. sed si. & l. cum. & l. si fratres. & l. si id. Aequū est ut si quis participet lucrum, participet & damnum: ut. ff. eo. l. si igitur. Nisi fortè ob suum maleficiū alter ex socijs subierit dispendium. Sed & pacti in societate super partibus, puta ratio habebitur: nisi fortè ita con

uenerit,ut alter lucrũ tantũ captaret,alter tantũ damnum sentiret. Esset enim hęc societas leonina:ut.ff.eo.l.si non.§.ita coiri. Res quoq; conferenda est in societatẽ,operaq;, sicut conuenerat: ut.ff.eo.l.societas.&.l.si societatẽ. Ratio quoq; debitorum sub cõdictione socijs, uel à socijs iudicis officio interpositis cautionibus, id est uicarijs stipulationibus,debet expediri:ut.ff.eo.l. si unus. Illud quoq; sciendum est,quòd societas non ad hæredem socij, sed nec ad arrogantem transit:ut.ff.eod.l.actio.§.societas. In hæredem tamen socij pro socio datur. Hæres enim licet emolumenti sit successor,cogaturq; negotia per defunctum inchoata, explicare, non tamen eius est socius, nisi in uectigalibus, & is ita demum si fuerit adcitus:ut.ff.eo.l.hæres. &.l.adeo. &.l. uerum.§.in hæredem. Est autem hæc actio ciuilis,personalis,bonæ fidei,& perpetua.

DE ACTIONE EMPTI ET VENDITI. TITV. XXII.

EXpedita est actio pro socio, quia id quod alienũ est pro parte fit alterius. Nũc audiamus de actionibus empti & uẽditi, quibus id quod est alienum, in alterius redigitur dominium. Et quòd actio uẽditi directa cõpetit uenditori,& eius hæredi,in emptorem & eius hæredem. Vtilis datur ei,cuius nomine res à procuratore uendita est. Actio empti directa datur emptori & suo hæredi in uenditorem & suum hæredem: in eum quoq; qui alterius nomine uẽdidit: ut.ff.de pign.act.l.eleganter.&.ff.eo.l.Iulianus. Venit autẽ in actione uẽditi, tam directa quàm utili,in primis pretium rei uenditæ,quodq; specialiter conuenit,puta,ut in domo uendita habitare liceat:quippe si ob hoc uẽdidit minori pretio,id æstimatur loco pretij:ut.ff.eod. l.fundi.&

l.si sterilis.§.qui domum.Sed & ruta ueniunt & cæsa:fructus quoq; ante uenditionem percepti: ut.ff.eo.l.fundi.§.ruta.&.C.eo.l.ij.Vsurę quoq; ueniūt,quas uel mora generauit,uel præter moram perceptio fructuum. Aequum nanq; est,ut emptor qui re fruitur præbeat & usuram: ut.C.eo.l.curabit.&.ff.eo.l.Iulianus.§.ex uendito.In actione empti tam directa quàm utili in primis uenit,ut res uendita tradatur, non quidem præcise, sed ut uel interesse præstet, si res non tradit. Quod dupliciter contingit, uenditoris scilicet uitio seu procacia,puta,quia alij uēdidit & tradidit:ut.C.eo.l.iiij. Vel quia res uēdita propter sui cōditionem tradi iure nequeat, puta si fuerit sacra, religiosa, uel persona libera. In his enim ratione rei non tenet emptio, licet teneat, agatur q; ex empto ratione bonæ fidei: ut. ff.eod.l.si sterilis.§.quamuis.&.ff.de cōtrahen. emp.l.qui officij.§.qui nesciens. Stipulatio autē in talibus nulla est. Sed & si stipuleris tibi & alteri, pro parte tantū stipulatio tenet, licet non emeris tibi & alteri insolidum,tamen ualet emptio:ut.ff. de contrahen.emp.l.fundi.& Instit.de inuti.stipula.§.quod si quis sibi.Interesse autem intelligo singulare rei pretium,quod quandoq; pluris est,quam conuētum pretium. Quippe certa sunt rerum pretia. Vnum uocatur conuentū,quo scilicet res uenit. Alterum singulare,quod excedit conuentum.Alterum commune,quod est quanti res cōmuniter uendi potest:ut.ff.ad leg.Aqui. l.si seruum.&.ff.ad leg.fal.l.pretia.Venit quoq; in actione empti,& qđ rei uenditę post emptionem accessit,etiam si quid seruo uendito,uenditoris intuitu donatum fuerit:ut.ff.eo.l.Iulia.§.si quid seruo.Nam cū ad emptorem spectet periculum,æquū est ut percipiat commodū:hoc tamē ita,si species uenit,uel quātitas ut species: ut.ff.

de con.emp.l.quod sępe.§.in his.Excipitur unũ quod & si fuerit in specie ueditũ,nõ tamẽ trãsmittit,nisi post degustationẽ,periculũ,prætereꝗ; si pacto remissa fuerit degustatio : ut.ff. de peri. & cõ.rei uẽ.l.j.§.sed si uẽditor. Veniũt quoqꝫ in actione empti affixa,inserta,inclusa:ut.ff.eod.l. fundi. Multipliciter quoqꝫ & differẽter uẽditor emptori cauere debet. Ecce enim in brutis esse, bibere,ut oportet.In hominibus errones eos,fugitiuos'ue nõ esse.Secernitur autem sciens uenditor ab ignorãte. Ecce enim si quis sciens uenditor uẽdidit pecus,puta morbosum,tignum'ue uitiosum, condemnabitur etiam longe præter rem,puta si cõtagione pecoris morbosi,uitio'ue tigni,pecora perierunt,ædes corruerunt.Si uero ignorans uendidit nõ tenebitur:nisi quanto minoris emptor emisset, si scisset:ut.ff.eod.l.Iulianus.§.si uenditor.In uase autẽ uendito conscius nòn distinguitur ab ignaro : ut. ff.eod.l.tenetur. §.sed si uas. Idem in locatione : ut. ff. loca.l.sed addes.§.j. Secus in uase commodato:ut.ff.commod.l.in rebus.§.item.&.l.penult.De uitijs autem animi uenditor nõ tenetur, nisi conscius dixerit abesse,& non abfuit,id est promiserit : uel nisi aliàs temere asseuerauèrit : ut.ff.eod.l.Iulia. §.j.Ignorans itaqꝫ uenditor,aliàs tenetur insolidum, ut in uase, aliàs tenetur in modicum,id est quanto minoris,ut in pecore morboso,seruo fugitiuo.Aliàs tenetur in nihilum,ut in fure,seruo uendito & seruitute non dicta:ut.ff.eod.l.Iulianus.in principio.nisi bonæ frugi ipsum esse uenditor asseuerauerit.Quod ergo in.C.legitur.tit. eo.l.si minor. uenditorem ignarum nomine tributi teneri : speciale in tributo dicito,uel eo cõtingere, quia minorem esse capitationem dixit, maiorꝗ; inuenta est. Ad hæc quæri solet, compellatur'ne uenditor prius rem præstare, quàm

emptor pretium numerare? Et certe nulla lege id expressim cautum est: uerū ex lege quadam, tit. eo. l. qui pendente. utcunque dici potest uenditorem prædium debere tradere: per alteram autem legem sub eodem titulo. l. ex empto. utrunque conijcitur, emptorem prius debere numerare. Quid ergo si alter alteri fidem non habeat? satis æstimo utranque, id est rem ueditā, pecuniamque debitam: apud tertium tanque apud sequestrum debere deponi, qui dirimat omne, quod est inter emptorem & uēditorem, litigium. Sunt autem hę actiones, id est empti, uenditi, ciuiles, bonæ fidei, & perpetuæ.

DE AEDILITIIS ACTIONIBVS.

TITV. XXIII.

Dictum est superius de actionibus empti & uenditi, quę sunt principales & dominæ: nūc dicamus de ædilitijs actionibus, quæ sunt illarum quasi pedissequæ. Videamus itaque quot sint actiones ædilitiæ, in qbus rebus sint proditæ, quibus competāt, in quos dentur, ex quibus causis oriantur, quales sint, & quāto tempore durent. Sunt autem tres ædilitiæ actiones: Redhibitoria, quanto minoris, & in factum actio. Illud ante omnia sciendū est, redhibitionem quoque cōtineri empti ciuili iudicio: ut. ff. de act. empt. l. ex empto. §. redhibitionem. Est autē redhibitio uenditionis resolutio: ut. ff. de acqui. pos. l. Pomponius. §. prę terea quæritur. Estque redhibere, facere, ut rursus habeat uenditor quod habuerat: & quia reddendo id fit, idcirco redhibitio est appellata quasi redditio: ut. ff. eod. l. redhibere. in princip. Competūt autem hæ actiones emptoribus, permutatoribus quoque, qui loco emptorū habentur, & eorū hæredibus in uēditores, permutatores, & eorū successores: ut. ff.

eo.l.j. Sunt autē proditæ hæ actiones in duobus generibus rerum, fundis scilicet & animalibus, tam brutis, quàm rationalibus. Vlpianus tamē dicit Labeonem scribere, ædilitium edictū pertinere non solum ad immobilia sese mouētia, sed ad mobilia quoq;:ut.ff.eod.l.j.Oriuntur tamen istæ ex causis quatuor, ex morbo, uitio, pacto, & si uenditores non cauerent, prout ædiles iuberent:ut.ff.eo.l.uenditor. Est autem morbus habitus corporis cōtra naturam, qui usum eius, ad id faciat deteriorem, cuius causa natura nobis eius corporis sanitatē dedit: leuis tamen febricula, ut uetus quartana, quæ iam sperni potest, modicūq; uulnusculū non inducent edictū: ut.ff.eo.l.j.§.j.sed sciendū. Vrgebitur aūt redhibitoria uenditor tam ignarus quàm cōscius: debuit enim hæc habere nota uēditor. nec interest emptoris cur fallatur, ignorantia uenditoris, an calliditate:ut.ff.eo.l.j.§.causa. Hæc autē ita uera sunt, si emptor ignorauerit, nisi nosse potuit, puta homo effossis luminibus ueniebat: ut.ff. eo.l.quæritur.§.si nominatim. Si autem emptor sciuit, nō redhibebit. Remisisse enim tunc uidet tacite: nec enim intelligitur esse cælatus, qui sciuit: & certiorari non debuit, qui non ignorauit: sed nec uolenti & scienti infertur dolus: ut.ff.de act.emp.l.j.§.uenditor.&.C.de transact. Sed & si uenditor nominatim exceperit de aliquo morbo, nomine eius morbi non conuenitur, nisi perfunctoriè exceperit:ut.ff.eo. Ex uitijs autē animi redhibet homo, duntaxat si fuerit fugitiuus, uel erro: aliàs nō redhibetur homo ex uitio, nisi dictū fuerit uitiū abesse, & nō abest. Ex empto tñ agi poterit, si sciens id uitium animi reticuit:ut ff.eod.l.j.&.l.ob quæ.§.idem Pomponius. Fundus quoq; pestiferas herbas habens, siue letiferas, redhibetur: ut.C.eo.l.si prædium.&.ff.eod.

Fit aũt redhibitio ex ordine, propoſita redhibitoria actione. Aliquando tamẽ redhiberi mancipiũ debebit, licet quanto minoris agatur, puta ſi nullius ſit pretij mancipium, fortè furioſum uel lunaticũ: ut. ff. eo. l. bouem. §. aliquando. Sed & interdum nõ morboſum pecus, uel mancipiũ redhibetẽ propter morboſum: ut. ff. eo. l. ędiles. ij. §. ſi iumẽta. & l. plerunq;. & l. iuſtiſſime. Ex pacto quoq; redhibetur per actionem in factum: ut ff. de reſcin. uend. l. ſi conuenit. & C. eod. l. ſuprà allegata. & ff. eod. l. quod ſi. §. in factum. Sed &, ſicut dictum eſt ſuprà, ſi uenditor nõ caueat, redhibitio locum habet: ut. ff. eo. l. ſi uenditor. Venit autem in actione redhibitoria reſtitutio pretij, & uſuræ ueniunt, & ſi quid acceſſionis nomine dederit, uoluntate tamen debitoris: ut. ff. eod. l. cum autem. & l. debet. Sed & ſi damnum emptor paſſus eſt, per hominem quẽ redhibeat ei reſtitui debet. Econtrario cum emptor redhibet mancipium, reſtituere debet ipſum non deterioratum ſuo facto, familiæ'ue ſuæ, uel procuratoris, ſed & reſtituere debebit emptor, quicquid ad ſe peruenerit, uel culpa ſua nõ peruenit: legatum quoq; & hæreditatem, etiam ſi ea ſeruus perceperit emptoris contemplatione: quia ſi uenditio remanſiſſet, nihil res hæc emptori profutura fuiſſet. Nam & per contrarium ſi con templatione uenditoris, ſeruus qui eſt in cauſa redhibitionis inſtitutus proponeretur, tamẽ diceretur reſtituere emptorem non debere ſi nollet redhibere. Et generaliter dicẽdum eſt, quicquid extra emptoris rem per eum ſeruum acquiſitum eſt, id iuſtum uideri oportere: ut. ff. eo. l. cum autem. §. fi. & l. & generaliter. Ex his quę ſunt colligi poteſt, quia redhibitoria actio nomine morborum, uitiorumq; duorum in homine competit; ſed & in fundis, ſicut dictum; ut. ff. eo. l. ſi ta-

men. Quanto minoris uero actio competit, puta si quis uēditor de mancipio adfirmauerit, nō ut laudaret, sed ut & præstaret, & tūc tamen redhibitorium iudicium intendi potest: ut. ff. eo. l. sciendum. Et notandū est, quòd quanto minoris actione sæpius agi potest, ita tamen ne lucrum emptor faciat, & is eiusdem rei æstimationē cōsequatur: ut. ff. eo. l. quod si. §. si quis egerit. In factum autem actio competit ad pretium recuperandum, puta si mancipium sine iudice sit redhibitum. Sed & si uænierit, ut nisi placuerit, intra tempus præfinitū redhibeatur. Nomine quoq; cautionum omissarum: sed & ornamentorum non præstitorum redhibitorium iudicium uel in factum intenditur: ut. ff. eo. l. ædiles. ij. §. nō tantum. Sopitur autem actio redhibitoria sex mensibus, quanto minoris anno utili: ut. ff. eo. l. sciendum. §. tempus. & l. ædiles. ij. & l. si tamen. & l. cum sex. In factum autem actio, quæ est de redhibenda re, nisi placuerit, eatenus extēditur, quatenus conuenit, etiam si pactum intercesserit, ut in perpetuum redhibitio fieret. Vbi autem de tempore nihil conuenerit, in factum actio inter L X. dies utiles accommodatur emptori ad redhibendum: ut. ff. eo. l. quod si. §. in factum. Nomine autem cautionum omissarum, & nisi iumenta præstentur, uti optime ornata uendendi causa fuerint, redhibitoria uel in factum emptoribus intra L X. dies utiles dantur: ut. ff. eod. l. si uenditor. & l. ædiles. §. non tantum. Sunt autem istæ actiones non ciuiles, nec propriè prætoriæ, sed quasi prætoriæ, quia ædilitiæ: sicut enim ius prætorium iuris ciuilis pars est, sicut & ius ædilitium portio est iuris honorarij: ut Insti. de iure natu. §. prætorum quoq; edicta. Est autem actio redhibitoria, ut æstimo, arbitraria. Estq; prodita aliàs in simplum, aliàs in duplum: ut. ff. eo.

l.redhibitoria. Aliæ uero duæ actiones ædilitię, id est æstimatoria, quanto minoris, & in factum actio, fortassis sunt bonæ fidei.

DE ACTIONE LOCATI ET CONDVCTI.

TITV. XXIIII.

QVia uero locatio penè eisdē regulis contrahitur, quibus & uenditio, de actione locati & cōducti disseramus. In primis tamen sciēdum est, quòd locatio proprie, nisi de pecunia mercedis nomine conuenit, non cōtrahitur: ut.ff.commu. diuid.l.si conuenerit. &.ff. depo.l.j.§.si uestimenta. Aliquando tamen & conductor dicitur, & partiarius colonus appellatur, qui non ad pecuniam numeratam conduxit, sed fructus, quasi societatis iure, & damnū, & lucrum, cum domino fundi partitur: ut.ff.eo. l.si merces.§.cōductor. Abusiue tamen colonus talis, cōductor appellatur. Competit autē actio locati, locatori, & eius hæredi, in conductorem & eius hęredem. Venit autem in actione locati, mercedis pręstatio, & rei finito usu restitutio, siue locatio fuerat tēporalis, uel perpetua, in scriptis uel sine: eo distincto, quòd si quis locauerit ad lustrum, exactoq; lustro passus est conductorem in cōductione secundo quoq; anno fore, in illum annum, hoc ipso quod tacuerit, relocasse uidebitur. Hæc ita in rusticis prædijs. In urbanis autem prædijs alio iure utimur, prout quisq; habitauerit, ita obligetur, nisi in scriptis certum tempus conditioni comprehensum sit: ut.ff.eo.l. item.§. qui impleto. Venit quoq; in actione locati instrumentum æstimatum, licet locatio nō soleat dominium mutare: ut.ff.eo.l.cum fundus. &.l.non solet. Venit quoq; damnum illatum, à colono, uel ab alio, coloni uel uitio, uel inimicitijs: ut

tijs, ut.ff.eo.l.si merces.§. culpæ.&.ff. sol. ma.l. penul. primo responso. Locator quoq; conductorē expellere potest, & impunè si male uersatus sit in re locata:ut.C.eo.l.ædem. uel si biennio continuo pensiones non soluerit, etiamsi cō uenerit de eo non expellēdo, quippe tacita inest condictio,si pensionibus paruerit,ut.ff.eo.l.quęro.§.inter.Expellere quoq; poterit, nō tamen sine pœna,nisi probauerit domum suis usibus necessariam,uel corrigere eā opus fuerit.His enim in casibus non conuenietur ad interesse, sed nec cogetur pati conductorem inhabitare. Compellendus est tamen conductori mercedem pro rata temporis remittere, uel nō petere, aut habitationem non minus commodam præstare. Idem in exustis,& locatis ædibus,ut.ff.eo l. si quis.j. responsum.secus in uenditis, siquidem & post exustionem debetur pretiū,licet non merces. Actio conducti conductori cōpetit, & eius hæredi. Venit autē in actione conducti,ut res locata fruēda tradatur,uel interesse præstetur, hoc de rigore. Ex ęquitate enim excusabitur domus locator,si eui cta fuerit sine dolo malo,suaq; culpa,dum paratus sit aliam habitationem æquè commodā præstare,ut.ff.eo.l.si quis.idem in similibus.Veniūt quoq; instrumenta, fundorum puta. Est autem instrumentum,apparatus rerum diutius mansurarum, sine quibus possessio excoli non potest, ut.ff.de instru. lega.l. instrumenta. Et sciendum quia locatur, aliàs res ut domus, aliàs opera ut exceptoris.Et certe si exceptor operas suas exhibuerit, uel per eum non steterit, sed per aduersarium,totius temporis mercedem acipere debet, b præsertim si eo anno mercedes ab alio non acceperit,ut.ff.eo.l.sed addes.§.fina.&.l.qui operas. Stetisse autem per conductorem intelligo seu locatorem,si steterit per eius uitium,seu per casum

in eius personam contingentem,ut per ægritudinem,uel per mortem.Ex his competenter & probabiliter colligi potest,quòd si steterit extrinsecus,& per casum in alterius persona contingentem,nullo uel commodo,uel incommodo quisquam adfici debeat. Constat autem quòd hæ actiones sunt personales, ciuiles, bonæ fidei, & perpetuæ.

SI MENSOR FALSVM MODVM DIXERIT.

TITV. XXV.

Quia mensoris opera, tanquam conducti utimur,ut.ff.si.regun.l.quarta.§.primo. de actione in factum,quæ aduersus mensorem agrorum proponitur ex prætoris edicto, quod est: Si mensor falsum modum dixerit, audiamus.Nec enim crediderũt ueteres,sicut & superius dictum est,inter tales personas locationẽ & conductionem esse,sed magis operam beneficij loco præberi,& id quod datur ei, ad remunerandum dari,& inde honorarium appellari. Sin autem ex locatione,uel cõductione fuerit actũ, dicendum erit nec tenere intẽtionem. Inuenitur autem hæc actio in factum directa & utilis. Directa datur ei, qui in agri numero deceptus est à mensore,uenditori puta & emptori. Datur autẽ in mensorem agrorum, si in modo fefellerit. In hæredes autem non datur, licet hæredi similibusq; personis detur. Nam & licet à negotio originem accipit, serui quidem nomine, non peculiotenus,sed noxaliter intenditur:ut.ff.eodem.l. tertia.§. ulti.l. quarta. Duo ergo specialia sunt in hac actione, scilicet quia licet sit ex cõtractu, non datur in hæredem,& quia noxaliter compe

tit. Tenetur autem mensor de dolo solo, lataq; culpa, quę dolo cōparatur: ut. ff. eodem. l. prima. §. hæc actio. Si falsum modum renũciauerit, siue per se, siue per alium, uiua uoce, uel per literas: ut ff. eodem. l. prima. §. ultimo. & l. secunda. Ita demum autem competit hæc actio emptori, uel uẽditori contra mensorem, si alter ab altero condicere, uel aliàs suum consequi non ualeat: ut. ff. eodem. l. tertia. & quinta. Vtilis in factum actio datur, aliàs ratione rei, aliàs personæ. Ratione rei. ut si in mensura non agit, sed ædificij, uel cuius alterius rei mensor fefellerit: ut. ff. eodem. l. quinta, & sexta. Ratione personæ, utilis competit in eum, qui mensor non fuit, in modo tamen fefellit, puta aduersus machinarium architectum, carpentarium, seu redemptorem. Tabularius quoq;, siue scriba hac actione utili conuenietur: ut. ff. eodem. l. ultima. & C. de magistra. con. l. ultima. Fortassis & econtrario ad honorarium expectandum. Hæc utilis in factum actio mensori competit, quanquam in edicto nõ habeatur, quod est de mensore proditum. Est autem hæc actio prætoria, non ciuilis: ut. ff. eodem. l. prima. Et perpetua: ut. ff. eodem. l. hæc actio.

DE PRAESCRIPTIS VERBIS ACTIONE, QVAE EX FACIO VT FACIAS *innominato contractu, proponitur.*

TITV. XXVI.

Ex contractu quoq;, licet innominato, qui & cõsensu perficitur, ex facio scilicet ut facias, quædam præscriptis uerbis actio nascitur. Competit autẽ ei, qui quid fecerit, ut quid sibi aliud quis faceret, nec id factũ fuit: ut. ff. de

præſcrip.uerb.l. naturalis. Eſt quoq; hæc actio, ciuilis, perſonalis, perpetua, ſtrictiq; iuris, ſicut ferè cæteræ præſcriptis uerb.actiones.

DE PRAESCRIPTIS VERBIS *actione, quæ ex facio ut des, innominato contractu, proponitur.*

TITV. XXVII.

EX facio quoq; ut des, innominato contractu, qui & re cõtrahitur, quædam actio naſcitur, quæ de dolo uocatur. Nam ſi feci ut dares, & poſteaquàm ceſſas dare, nulla erit ciuilis actio, & ita de dolo dabitur, præter quàm in C. de tranſact.l. cum mota. & l. ſi pro fundo. In illis enim legum caſibus, ex neceſſitate præſcriptis uerbis actio, iure decernitur, quia & uetus actio perempta eſt, & quia de dolo actio, utpote ceſſante dolo, competere non poteſt.

DE CONSTITVTA PECVNIA.

TITV. XXVIII.

REſtat ut de actione, que uocatur de conſtituta pecunia, uideamus. Licet enim conſtitutio pecuniæ ſit nudum pactum, actionem tamen parit, cumq; conſtitutor paciſcatur, licet proprie non contrahatur, magisq; conſtitutio contractibus accedit, quàm alijs actionum matriculis, ut ita dixerim, meritò in præſenti arũ dicendum eſt, cui cõpetat hæc actio de conſtituta pecunia, in quem, & qualis ſit. Cõpetit autẽ ei, cui quis conſtituit, in eum qui conſtituit ſe ſoluturum, ſiue purè, ſiue in diem, ſiue ſub cõditione, ut.ff.eo.l.id quod. ſiue ꝑ ſe, ſiue pro alio. Conſtituit autem pecuniã iuribus debitam, ut.ff.eo. l.iij. Aliud quoq; pro alio cõſtitui poteſt, dummodo debeatur hoc naturaliter tantũ, ut per nu

dum pactum: uel ciuiliter & naturaliter, ut per stipulatum, uel naturaliter, non tamen ciuili iure, sed prętorio, ut per iusiurandum. Si uero quid debitum sit ciuiliter tantum, exceptione tamen eius petitio possit elidi, puta non numeratæ pecuniæ, uel pacti conuenti, nequaquàm constituitur. Ita demum autem tenetur qui constituit, si personaliter loquatur, id est si constituit se soluturum, nō si alium: ut. ff. eo. l. cum qui. Sed si quis constituit se pignus daturum, cū utilitas pignorum irrepserit, debet etiam hoc constitutum admittit: ut. ff. eo. l. qui autem. §. si quis. Sed & si certo loco fuerit constitutum, exemplo arbitrariæ actionis ubiq; agi poterit: ut. ff. eo. l. si duo. §. sed certe. Et nontandum est, quia licet is, qui stipulanti purè promisit, illico tenetur ad dādum, modici duntaxat temporis habenda ratione: constitutor tamen intra x. dies exigi non potest: ut. ff. eo. l. promissor. §. si sine. Est autem hæc personalis, prætoria, stricti iuris, & perpetua.

DE DONATIONIBVS. TITV. XXIX.

ET quia donatiōis cōtractus in Codice ultimo loco expeditur, & à Iustiniano donatio in formam contractus redacta est, cum iure gētium nudum pactum fuisset, nec actionem pareret, de actione, quę prodita est ob donationem audiamus. Competit autem ex lege cōdictio donatario, eius hæredi, in donatorem, & eius hæredem: ita demum autem, si donatio sit mera, & ex munificentia liberalitateq; descēdat. Si uero mixtum fuerit, donationis ob causam cū donatione negotium, uel ob mortē sit donatū, alijs actionibus agetur, id est uel condictione ob causam, uel actione ex testamento. Nam & mortis causa donata, tanquā legata, etiamsi ab intestato fue

rint relicta,actione ex testamento petũtur.Com petit autem ex lege condictio, ut res donata tradatur:ut Institu. eo.§. perficiuntur. & C. eo.l.si quis.§. sinautem hoc. non euicta re sarciatur: ut C. de euic.l.iiij. Non enim donator liberalitatis suæ pœnã pati debet:ut.ff. de ædi. edict.l. ad res. Licet tamen donatori necesse non erit repromittere ea,quæ in rebus uænalibus ædiles repromitti iubent:si tamen donator euictionem specialiter promiserit, conuenietur. Sed & si sciens rem alienam mihi donauerit, & euincatur, inq; eam sumptus magnos fecero,obstrictus erit:ut.ff.eo. l. Aristo.§. Labeo ait. Est autem hæc actio ciuilis,perpetua,personalis,stricti iuris:ut.ff.eodẽ.l. cum qui.

DE ACTIONE EXERCITORIA, INSTITORIA, TRIBVTOria,*quod iussu, & de peculio.*

TITV. XXX.

QVia actiones ex contractibus descendentes,de quibus dictum est superius,actionesq; ex quasi cõtractibus,de quibus dicetur inferius,propter contractus & quasi,seruorum,filiorumq; fam.in parentes dominosq; redduntur:earumq;, aliæ sunt insolidum, ut exercitoria,institoria,tributoria,quod iussu:aliæ non, ut de peculio, de in rem uerso:de his omnibus uideamus.In primis autem sciendum est,quòd hæ non sunt actiones,id est exercitoria, institoria, tributoria,de peculio,de in rẽ uerso, quod iussu, non sunt actionũ nomina,sed formarũ:siquidem una est actio,scilicet cõdictio certi,uel actio uenditi,uel quæcũq; alia pro qualitate negotij, qua agitur de peculio,deq; eo quod in rẽ uersum est:

ſicq; duplicem condemnationem habet, & una eſt actio: ut Inſti. quod cũ eo qui in al. po. habetur. partim obſtringitur iudicio tutelæ negotiorum geſtorum de peculio, & de in rem uerſo. Minus ergo propriè aiunt quidam has eſſe actionũ ſpecies, quas non eſſe actionum ſpecies, ſed formas, apertè probauimus. Nam & aliàs cõcepti, oblati, exhibiti, non exhibiti, formæ ſunt actionum furti, nõ furti ſpecies ſeu genera: ut Inſti. de furt. Exercitoria actio competit ei, qui cum magiſtro nauis cõtraxit, nomine tamen eius rei, cuius ibi præpoſitus fuerit, ſeruus, liber 'ue: ut. ff. eodem. l. prima. Datur quoq; in exercitorem directa, non cum magiſtro agitur eodem actionis genere, ſed utiliter agitur in exercitorẽ, ut ea actio quæ datur directa contra magiſtrum, detur utilis, uocetur q; exercitoria contra exercitorẽ. Hoc enim edicto actio non transfertur, ſed adijcitur: ut. ff. eodem. l. ſi eum. §. item. Et ſciendũ eſt, quòd ita demum competit in exercitorem nomine pecuniæ creditæ condictio certi exercitoria, ſi in eam rem, in quam ſumitur, fuerit neceſſaria pecunia. In hac enim actione curioſum oportet eſſe creditorem: ut. ff. eodem. l. ultima. Datur autem hæc actio perpetuò hæredibus, & in hæredes, etiam ſerui nomine: ut. ff. eodem. l. ſi tamen. Eſt & prætoria, aliàs bonæ fidei, aliàs ſtricti iuris, pro qualitate negotij, & actionis genere.

PLACENTINI

DE IVDICIIS, ET DE TRADITIO- *ne eorum quæ in quouis iudicio æstimantur,*

LIBER TERTIVS.

DE ARBITRIS, ET IVDICIBVS, *& quæ sit differentia inter eos.*

TITV. I.



ARBITRVM EVM DIcimus, cui proprio consensu compromittentes, scilicet actor & reus, partes iudicis committunt. Iudex uero est, qui iurisditiōi præest, ut prætor, præses, præfectus urbis, & qui ab his delegatus est: quibus uidelicet communia sunt. Vterque propositis sacrosanctis euāgeliis circunspectè causam examinat, iusiurandum de calumnia actoris & rei fieri properat, uidelicet ne per calumniam intendatur, ne calumniose cōtradicatur, ad dirimendas lites & terminandas causas: sine sorde & fraude laborat, nunc absoluendo, nunc condemnando. Condemnato ex regulari iure quadrimestre tempus indulget. Nam pro qualitate causæ, & obsequio, siue contumacia personæ nonnūquam tempus prorogat, nonnūquam coartat, propria singulorum hæc sunt. Arbitrum priuati eligunt. Iudicem dat potestas publica, aut princeps, & qui sub eo militat. In hunc cōpromitunt inuicem promissa, ut per quē factum fuerit, quo minus sententiæ sit paritum, ille exigat pœnam, uel deponitur apud eum res,

de qua est controuersia, & ita actori præstetur: aut res alio loco pignori apud eum collocātur, ut satisfiat sentētiæ: aut per stipulationem hinc inde promittitur sententiæ stari. Verum iudex neque in se compromitti patitur, neque pignora dari, uel deponi apud se cōpellit. Sed nec sententiæ stari promittit, sed tantum iudicio sisti. Huius sententia non parit actionem uel exceptionem regulariter, illius infamiam interdum irrogat. Amplius arbiter cum religione eligi non debet, nec iurare. Sed si male, & contra ius sententiam dixerit, sponte de eo rationem rediturus est, si per imprudentiā hoc partibus nocebit. Iudex iurat, cum ueritate & legum obseruatione se iudicaturum in singulis, sicut fuerit iustum uisum: arbiter non interponit se in causa criminali. Iudex de utraque cognoscit: huius sententia appellatione non suspenditur. Illius decretum iusta prouocatione rescinditur: arbitro, & si sit iniqua sententia, stabitur. Iudicis, si sit iniqua, appellatione facta, mutabitur. Hæc de arbitro & iudice, deq; eorum communione & differentia, de'ue eorum officijs succinctè dicta sufficiant.

DE ADVOCATIS.
TITV. II.

Aduocati sunt qui & patroni causarū dicuntur. qui ingrediuntur iudicium utriq; parti suum præstātes auxilium, quorum est officium causas perorare, quousq; uoluerint. Ne tamen ad turpe compendium, stipemq; deformem hæc arripiatur occasio, sed laudis per eam argumenta quærantur, agere debent quod causa desiderat, ab iniuria temperare, neq; pro tractu non affuturi causis aliquid accipere: alioquin labem pudoris contrahunt: sed nec de in-

terit, obtineat: quia rei fauorabiliores sunt, quàm actores. His æquipollenter dicitur, iura promptiora sunt ad absoluendum, quàm ad condemnandum: eoq; reus in exceptione actor est, & ipsum, qd' excipit, probare debet: ut. ff. de probat. l. in except. &. ff. de excep. l. j. Sanè uno casu qui excipit nō probabit. Qui enim spe numerationis se stipulatione uel chirographo obligauit, si conueniatur, exceptionem non numeratæ pecuniæ, intra biennium iustè opponet: nec probationis onus ei imminebit: illa forsan ratione, quia negantis factum per rerum naturam nulla est probatio: ut. C. de non nu. pec. l. si ex cautione. &. C. de proba. l. actor. in fi. Cæterū quæcūq; de actore dicta sunt esse probanda, eadem de replicatione dicēda putamus. Eadem quoq; censura est de exceptione, & replicatione. Nanq; sicut hæc actio & replicatio actorem iuuant, sic reum exceptio & duplicatio subleuant: ut. ff. de excep. l. ij. Iam ab eo probantur, quia æquum est in eo probādo quenq; grauari: quo probato, uidetur subleuari quod ad probationes rei immobilis à mobili, seseq; mouenti non secernitur.

DE ACCVSATIONIBVS.

TITV. V.

Accusare omnibus permissum est, his exceptis: propter sexū, prohibetur mulier: propter ætatem, pupillus. Propter sacramentū militare, qui stipendium meret, id est miles. Propter magistratū & potestatē, in qua agētes sine fraude euocari nō possunt, ut cōsul, prætor. Propter delictū, ut infamis. Propter turpem quæstū, ut hi qui numos ad accusandū acceperint. Propter conditionē, ut filij contra parētes, liberti cōtra patronos. Propter suspitionē calūniæ, ut qui falsum testimoniū subornati dixerūt.

Ratione paupertatis, ut hi q minus habēt quinquaginta aureis. Attamen nō excludūtur si suā iniuriā, mortem'ue propinquorū defendant, uel exequātur. Sed & hi, qui iudicio publico dānati sunt, qui'ue cū bestijs depugnandi causa in arenam intromissi sunt, qui'ue artem ludicram uel lenocinium fecerint: ut.ff.eod.l.qui accusare.cū tribus.ll.sequentibus.&.l.qui in iudicio publico. Sed filij ius accusandi contra matrem nō habent, multo minus frater magnū & capitale crimen contra fratrem intendit. Qui duos accusauerit, tertiū accusare non potest: ut.C.eo.l.cum rationibus. Similiter uocem familiaris & serui oportet potius intercidi, quàm audiri aduersus eū, cuius familiaritati uel dominio inhæserit: excepto crimine maiestatis. Itē arctioris annonæ populi Romani, & falsæ monetæ, necnon falsi. Quòd si cōsummauerit dominus testamentū, in quo relictā sibi libertatē seruus adseuerat, aliquādo nō prorsus interdicit accusatio, sed suspēditur: nomenq; rei, id est accusati, abolet. Ex integro tamen repetendi reum potestas fiat, ut, si non fiat inscriptio, & alia, quibus est opus.

DE INSCRIPTIONIBVS.
TITV. VI.

IN inscriptione enim oportet esse nomen accusantis & accusati, nomē criminis & legis. Sed & eius nomē, à quo cōmissum est scelus: & tempus, id est, mēsis in quo factum: & locus, ubi scilicet neq; diem neq; horam inuitus cōprehendet. Inscriptionis enim conceptio talibus in legibus inuenit: Titius professus est se Meuiam lege Iulia de adulterijs ream deferre, quòd dicit eam cū Gaio Seio in ciuitate illa, domo illius, me, se, illo, illis consulibus, adulteriū cōmisisse: ut.ff.eo.l.si cui.&.C.eo.l. i causis criminalibus.

DE TESTIBVS.

TITV. VII.

TEstium uero talis est ratio: ad testimoniũ compelli possumus per iudicẽ, & improbè uersantes à præscriptione fori coërceri. Aliquando excusamur, siue in omnibus causis, ut senes, ualetudinarij: ut.ff.eod.l.inuiti. siue in aliquibus, ueluti in publico crimine contra cognatum admittimur uolentes:ut.ff.eo.l.lege Iulia. Et quandoq; excusamur, & quandoq; cogi possumus:ut.ff.de tab.exhib.l.locum.§.exhibere.& quemad.test.ape. l.cum ab initio. Interdũ inuiti excusamur, uolentes repellimur, ut liberi contra parentes,& econuerso. Testium quidam iudicis officio, quidam exceptione remouentur. Iudicis officio, propter dicendi suspitionem: exceptis, ueluti qui condẽnati sunt de crimine famoso, quos leges iubent esse improbos, & intestabiles:ut.ff.eo.l.ob carmen famosum. In testibus, dignitas, fides, mores, grauitas, examinãda est. In primis conditio: utrum decurio, an plebeius:an honestę uitæ, an reprehensibilis:an locuples, an egenus: utrum amicus ei, pro quo testimonium dat, uel inimicus contra quem testimonium fert: ut.ff.eo.l.in testibus. cũ.l.sequẽti. Vtrum'ne unum,& præmeditatum sermonẽ uisi sunt dicere, an non:ut.ff.eod.l.testiũ.§.ideoq;. Postremo rescriptum extat, iudicem nõ utiq; ad certam probationis speciem cognitionẽ statim alligare debere, sed ex sententia animi sui æstimare oportere, quid, aut cui credat, aut parum probatũ sibi opinetur:ut.ff.eo.l.testium. §.eiusdem. Sũt casus, in quibus quilibet testes admittuntur: ut arenarius, uel similis persona de carmine famoso:nõ tamen sine tormentis: ut.ff.eo. l.ob carmen famosum.§.ult. Cum in crimine de

falsa moneta ad testimonium admittũtur in iudicio adulteri, precor non mea causa iudex. Iam si adiudicaturus est, nõ admittitur, quemadmodum nec patronus, id est aduocatus.

DE IVDICE, ET IVDICIIS. TITV. VIII.

IVdicium accipitur actus ad minus triũ personarum, scilicet actoris intendentis, rei intentionem euitantis, iudicis in medio cognoscentis. Quòd uero iuris sortiatur effectum, spectatur forma iudicij, & potestas in statuendo & terminando. In institutione intuemur personas, rem, utrunq; simul. Iudex est, qui neq; natura remouetur, ut mutus: neq; iure, ut infamis: qui licet arbiter esse poterit, tamen iudex esse iure nõ poterit. Iudicare nequeunt aliqui natura, ut infantes: aliqui iure, ut serui. Pedaneus principaliter liberalem causam nõ cognoscit, licet incidẽter examinet: nec de ea, sed de principali causa pronunciando: ut. C. de peda. iudi. l. ij. Cuius uictoriam & ad libertatem extendimus. Similiter si is agit, uel actionem suscipit, qui legitimã administrationem non habeat, nullum est iudicium, cum & procurator est falsus, nec dici controuersiæ solẽt, nec poterit esse iudicium. In terminando forma illa est: actor ut uincat, actionẽ intendit, intentam probabit. Simili modo reus negabit, excipiet, & probabit. Iudex examinat, parteis sæpius interrogat: ut. ff. de interrogat. acti. l. penult. Postea pronunciat, seruato biennio in criminalibus, triẽnio in pecuniarijs causis: ut. C. de iudic. l. properandum. §. si autem. Sedens, scribens, de scripto partibus recitans, executioni quod iudicatum est mandans, uis & potestas est ex contestatione & pronunciatione. Contestatur, res nouatur, non ut decedat

aliquid, sed ut accedat: cũ temporalis actio perpetuatur nõ transitura in hæredes, transeat, usuraria fiat. Pronunciatione quoq; nouatur, non ipso iure, sed exceptione perpetua, si reus obtineat, cũ etiam actionem pariat, si actor uincat. Vbi ergo absunt, quæ abesse oportet, & adsunt, quæ adesse oportet, hoc, & iudicij & sententiæ nomine censeri meritò potest.

DE DILIGENTIA ET CVLPA, *quæ ueniant in unaquaq; actione.*

TITV. IX.

CVm secundum diuersitatem actionum, & diligentia desideretur, & negligentia puniatũ, utile esse credimus, inspecta cuiusq; actionis natura, quæ diligentia, quæ culpa ueniat in unaquàque actione, per singulas species exponere. Possessor alienæ rei, si bona fide possidet, & si dolo eius res interierit, nõ tenetur, cũ cognitione domini rem deteriorem reddiderit, quod est si in omittendo dolus uel culpa commissa sit: alioquin si in faciendo, tenetur lege Aquilia, & hoc, si non mota controuersia ei sit: alioquin controuersia progressa tenetur de custodia, & hoc puto ad exactam diligentiam, sicut qui seruum fugitiuum à se petitum nõ custodit: ut. ff. de rei uend. l. qui petitorio. §. qui in rem commodatam. & l. utiq;. & l. Iulianus scribit. & l. si culpa. & de uer. ob. l. si seruum stipulatus fuero. Fatalitatem uero præstare nõ debet, neq; propter metum huius periculi, cogitur ius suum indefensum relinquere, & hoc, licet distracturus fuerat. Prædo autem præstat fatalitatẽ post acceptum demum iudicium, & id ipsum tunc, cum distracturus petitor fuerat: ut. ff. de pet. hæred. l. illud quoq;. & ff. de rei uend. l. item si. Et hoc ita uerum est, si furtum commissum non sit. Nam

commiſſo furto, cum fur ſemper in mora ſit ante oblationem, periculo non liberatur, ſed tenetur condictione furtiua: & hæc eadem in pet. hæreditatis intelligenda ſunt, ſed nec actio ad exhibendum ſeparatur ab his. Nam & poſt acceptũ iudicium, licet ſine dolo malo & culpa poſſeſſoris homo mortuus ſit, tamen interdum tanti damnãdus eſt, quanti actoris interfuit, per eum non effectũ, quo minus tunc, cum iudicium acciperetur, homo exhiberet. Quod eſt ſi fortè diſtracturus erat petitor, & poſſeſſor malæ fidei fuerit, uel bonæ fidei, quòd per calumniam reſtitit, quia intellexit exactionem actionis ad ſe nõ pertinere: tanto magis ſi apparebit eo caſu mortuũ, qui nõ incidiſſet ſi tunc exhibitus fuiſſet, ut ff. ad exhi. l. de eo. §. ſi poſt acceptum iudicium.

IN DEPOSITO QVID VENIAT. TITV. X.

IN depoſito uenit dolus, & lata culpa, quandoq; culpa leuis, quãdoq; culpa & cuſtodia, quãdoq; periculum. Dolus & lata culpa uenit ex natura depoſiti. Ad exactam diligentiam tenetur, ſi culpam repromiſerit, uel pretium depoſitionis, non quaſi mercede accepta: ut. ff. ui bono. rap. l. prætor ait. §. ſi in re depoſita. &. §. in hac actione. & titu. depoſi. l. j. §. ſæpe. &. l. quod Nerua. De periculo tenetur, ſi periculũ in ſe ſuſceperit, aut etiam cũ depoſita eſt pecunia apud eum gratia eius, ut puta ſi emiſſet, crediti nomine obligatus eſſet: ut. ff. ſi cer. pet. l. ſi qs. De culpa & cuſtodia tenetur, ſi ſe depoſito obtulit: ut ff. depoſi. l. j. §. ſæpe euenit. Si uero conueniat ne dolus præſtetur, nõ ualet pactio: quamuis ſi paciſcatur, ne depoſiti agat, re ipſa id pactus uidetur, ne de dolo agat, quod pactum prodeſt. Quia expreſſa nocent, non expreſſa non nocent: ut. ff. de pact.

de pact.l.si unus.§.illud. Lata autem culpa existimatur, si quis ad suum modū curam in re deposita non p...icitit. Nec enim salua fide minorem his, quàm suis rebus, diligentiam pręstabit: ut.ff.depo.l.quod Nerua.

IN COMMODATO QVID VENIAT. TITV. XI.

IN commodato uenit quandoq; dolus & lata culpa tantū, quandoq; culpa leuis, & diligentia, quandoq; periculum. Dolus & lata culpa uenit si hoc conuer...it, uel si sua duntaxat causa cōmodauit, spōsæ fortè suæ uel uxori, quò honestius ad se culta duceretur: ut.ff.cōmo.l.si ut certo.§.interdum. De culpa quoq; leui tenetur, si utriusq; gratia res commodata est: ueluti si communem amic... ad cœnam inuitauerimus, tuq; eius rei curam suscepisses, egoq; tibi argentū accōmodauerim, culpa quidem à te præstanda est, ut ita culpæ fiat æstimatio, sicut fieri solet in rebus pignori datis & dotalibus: ut.ff.titu.eo.l.in rebus.§.hoc ita. Ad exactissimam diligentiam tenetur is, cui res aliqua utēda datur eius gratia tantum: nec sufficit ei tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solitus est, si modo alius diligentior poterit eam rem custodire: sed propter maiorem uim maiores'ue casus non tenetur, si modo non ipsius culpa is casus interuenit, ueluti si id quod tibi domi commodatum est, peregre tecum ferre malueris: tunc enim periculum ad te spectat: ut Insti. qui.mo. re con. ob.§.at is.&.ff.commo.l.si ut.§.nunc uidendum &.l.in rebus.§.alioquin. Vel si potuerit res commodatas saluas facere suas prætulit: ut.ff. commo.l.si ut.§.quod uero. Fatalitatem præstat siue id repromisit, siue res æstimata data sit: ut.ff. tit. eo.l.ut. In commodato autem hæc pactio ne do-

lus præſtetur rata nõ eſt:ut.ff.eo.tit.l.in commodato.Excuſatus autẽ eris à culpa,ſi rem tibi cõmodaui,& cuſtodem poſui: ut.ff.eod.titu.l.ſi ut §.ſi de me.

QVID VENIAT IN ACTIONE DE PRECARIO.

TITV. XII.

ILle qui precario rogauit, tenetur de dolo & lata culpa,de leui non tenetur,niſi poſt interdictum redditum: tũc enim præſtat dolum & culpam & omnẽ cauſam. Nam ubi moram quis facit in precario,omnẽ cauſam debebit reſtituere:ut.ff.de preca.l.quæſitum eſt.§.eum quoq;.Si quæras cur hic non tenetur precarÿ rogator ad eam diligẽtiam quam præſtat commodatarius, forſitan illa ratio eſt,quia commodatum intempeſtiuẽ reuocari non poteſt: ut.ff.com.l.in commodato.§. ſicut autem. Precarium uero tandiu durat,quandiu is qui conceſſit patitur: ut.ff. de preca.l.cum precario.ÿ.Et quod facilius reuocatur,non eſt mirandum ſi minus habeat oneris.

QVID VENIAT IN PIGNORATITIA ACTIONE.

TITV. XIII.

IN pignoratitia actione uenit dolus & culpa, ut in commodato,& cuſtodia, uis maior non uenit:ut.ff. de pig.act.l. ſi cum.§. uenit autem &.l.qui ratiario. Aliquis autẽ putaret eadẽ per omnia uenire in hac actione,quæ in actione cõmodati deſiderantur propter uerbũ ſuperius inſertum,ſubiũgit ibidem alia lege.Ea igitur quæ diligens paterfam.ſcilicet in ſuis rebus præſtare ſolet,à creditore exiguntur. Sufficit em̃ quod ad eam rem cuſtodiendã, exactam diligentiã adhi-

beat:ut Insti.quib.mo.re con.ob.§.at is. Si uero res pignori datas male tractauerit creditor, uel seruos debilitauit,tenetͤ eo nomine: ueluti si pro stituit ancillam,uel aliud improbatū facere coegit,soluitͤ illico ancillæ pignus:planè si pro maleficijs coërcuit creditor,non tenetͤ: ut.ff.de pig. act.l.eleganter.§. & si res pignori. Si ergo operã dedit,ut res deterior fieret,tenetur:si operã nõ dedit,nõ tenetur:ut.C.eo. tit.l.ult. Operã autẽ dedisse uidetur uel intelligitur, & qui culpã adhibuit.Sed & cū pignus creditur, creditor de dolo debet repromittere, & si prædiū fuerit pignoratum,de iure eius repromittẽdū est:ut.C.eo.l.creditor.Quinimò forsitan & hincinde interdū cautiones interponi debent,& in præteritū, & in futurū:ut puta si eius serui nomine creditor iudicium accepit, uel quid cū eo ageretur: uel quod ipse eius nomine ageret, ad similitudinem serui qui redhibetur, eius nomine suprà dicta cautio exponitur:ut.ff.de redhi.act.l.redhibere.§. idem Põponius ait. Eius autẽ nomine cū eo agitur,si seruus noxam cõmisit.Nam si creditor defendere noluerit, procõsul denegabit, etiã ei pignoris persecutionẽ:ut.ff.de nox.act.l.si seruus depositus.§.dominus qui seruū. Ipse autẽ eius nomine agit,si furtū passus est:ut.ff.de fur.l. serui.§.illud quæsitū est.uel si occisus sit ille seruus,quo casu datur utilis Aquiliæ creditori:ut.ff.ad leg. Aquiliam.l.quemadmodum.§.quod dicendum est.

QVOMODO SIT VTENDVM ACTIONE EX EMPTO.

TITV. XIIII.

EX empto actiõe is qui emit,utitur,& in primis id deducitur in hoc iudicio,quod præstari conuenit: si nihil conuenit, tunc ea

præſtabuntur, quæ naturaliter inſunt huius iudi cij poteſtati: & in primis ipſam rem uenditorem præſtare oportet, id eſt tradere, ſed non præciſe: ſed ſi non tradiderit, condemnatur ad intereſſe. Redhibitio quoq; empti iudicio continetur, & ut caueatur animalia ſana præſtari, & qui iumẽ ta uendidit, ſolet ita promittere eſſe, bibere ut oportet, & fugitiuum non eſſe ſeruum, furtis no xijsq; ſolutũ, & ut habere liceat emptori caueatur, ſed & ut tradatur ei poſſeſſio. Quibus non præſtitis, uel uno ex his, in id quod intereſt ſit cõ dẽnatio: ut. ff. de act. emp. & uen. l. ex empto. Sed etiã dupla promitti debet in pretioſis: alioquin ſi dictum non ſit quantum uenditorem præſtare oporteat, ſimpla uel intereſſe præſtabitur: ut ff. de euict. l. ſi in uenditione. Sed & ſi dixit euictionis nomine nihil præſtari, pretium debebit re euicta, non utilitatem: ut. ff. de act. emp. l. emptorem. §. qui autem. Si conuenit plus minus'ue præſtari euictiõe ſecuta, quàm nomine pretij datum eſt, ualet conuentio: ut. ff. de euict. l. antepenult. Venditor autem talem cuſtodiã debet, qualem præſtarent hi, quibus res commodata eſt, & exactiorem quàm in ſuis rebus adhiberet: ut. ff de peri. & com. rei uen. l. cuſtodiam. Nam talem diligentiam debet, qualem bonus paterfamiliàs adhibet ſuis rebus: quam ſi præſtiterit, & tamen rem perdiderit, licet per furtũ, ſecurus eſt, ut tantum ſcilicet uendicationem rei & condictionem exhibeat emptori: ut. ff. de con. emp. l. quod ſæpe §. ſi res. Periculũ autem publicationis fundi uen diti, quod ante traditionem cõtingat, non reſpicit ad emptorem: quod ita uerũ eſt, ut pretiũ repetat, aut conſequatur, ſi quid amplius ſua inter ſit: ut. ff. loca. l. ſi fundus. Id forſitan intelligendũ erit de lectis quos ædilis cõcidit: ut. ff. de peri. & com. rei uen. l. lectos. Imputatur autem uendito

ri domus,si antequam eam tradat,damni infecti stipulationem nō interposuit, quia custodia ad eum pertinet:ut.ff.de act. emp.& uen.l. uēditor. Si uinum ueneat ad mensuram,eam diligentiam uenditor debet, ut fatale damnum & uis maior sit excusata:hoc est ad interesse nō teneatur uenditor,nec tantum ad emptorem pertinet periculum.Nam ante mensuram uter teneatur proprie notādum uenit:ut.ff.de peri. & com. rei uen.l.ij. &.iij.Si uero conditionalis est emptio, periculū amissæ rei emptorem nō adstringit.Si autem deterior facta fuerit,ad emptorē spectat detrimentum:ut.ff.de peri.& com.rei uen.l.necessario.

DE MORA.

TITV. XV.

CVm de mora punienda quæratur,sciendū est aliter moram puniēdam in actionibus in rem,aliter in personalibus,aliter in bonæ fidei iudicijs,aliter in stricti iuris.Qui in rem conuenitur,etiā culpæ nomine condēnatur.Culpa autem existimatur,nō solum si fecit,quod facere non debuit,sed & si omisit, quod facere debuit,puta si seruum à se petitū non custodiuit,& is fugit:ut.ff.de rei uen.l. qui petitorio.§.ulti. Si uero eo modo interijt quo interitura esset,tūc distinguitur,utrū prædo fuerit,an bonæ fidei possessor. Si prædo fuerit præstat fatalitatem, puta si intelligebat,& dolo malo resistebat. Si bonæ fidei possessor fuerit,non præstat fatalitatem:nō enim debet ius suū indefensum relinquere: ut.ff. de pet.hære.l.illud. Notandum puto dolo malo resistere,qui obseruandam sibi euictionem litigat,licet sciat rem ad se nō pertinere.Ideoq; hūc de fatalitate non puto teneri, quod puto trahendum ad actionem ex stipulatu, & ex testamēto, & depositi:ut.ff. depo.l. si in Asia.§.ulti.&.l.si

plures.§.ult.& de uerb.oblig.l.si ex legati: & de usur. & fruct.l. si quis solutioni. Quas leges ita exponendas existimo.Idē & in omnibus personalibus actionibus: nisi condicat quis rem à fure uel eius hærede. Hæres enim furis præstat fatalitatem,sicut fur,Culpa uero, quā diximus æstimari etiā in omittendo in actione in rem, ita nō æstimatur in personali,sed ita,si fecerit quod nō debuit, puta si eū occiderit, licet cessante mora uel facto eius, seruus promissus liber factus sit: aut si alienauit,& res desijt posse dari. Cū tamē per aliū hoc contigerit,condēnandus est:si autē alienus tēpore promissionis fuit,nec eius postea factus sit,& ab alio tale quid acciderit etiam ab alio:ut.ff.de uerb.oblig.l. si seruū.j. responso.& §.j.Si autem cū promissor eum alienauerit, ante moram naturali morte intereat,non tenetur.Idē in uenditione:ut.ff.de hæred.uen.l.uenditor.nisi uenditor hæreditatis sit,qui alij uendendo negotium emptoris gessisse uidebitur. Mora autē intelligitur fieri, quandoq; iure cōmuni, ut interpellatione,cum quis interpellat debitorē suum, licet extra iudicium, ita rationabiliter ut debitor nullam habet rationem differendæ solutionis.Quandoq; iure singulari, & hoc bipartito. Vel propter rem,ut in furto: nam fur semper est in mora,& mora trahit ad se periculum.Vel propter personam, ut in minore: ut.C. de restitu. In persona,& hoc in bonæ fidei iudicijs & legatis, & fideicōmissis.Mora quandoq; gignit usuras, qnq; trahit ad se periculū,quādoq; perpetuat obligationē.Gignit usuras,ut in debitore interpellato ex prædictis causis,ut & in debitore minoris,si tamen tutor ei sit:ut.ff.de usur.& fruct.l.cum quidam.§.si pupillo.In stricti iuris iudicijs,post litem demum contestatam usuræ currunt, & trahit ad se periculum,ut qui tenetur in stricti iuris,

iudicijs scilicet, non liberatur: secundum tamen prædictas distinctiones perpetuat obligationē ut post litē cōtestatā Licet aūt bona fides excusat possessorē i ei alienę à fatalitate, nō tamē a fructibus. Licet enim bona fide possideat & titulo, pendētes fructus restituet cū ipsa re, & licet perceptos suos fecerit, extātes tamen iudicis officio restituit: de consumptis non tenetur, etsi locupletior sit. Bonæ fidei possessor, si non titulo possidet, cultura prouenientes facit suos: nunquā natura: ut. ff. de usur. & fruct. l. fructus. Similiter de consumptis non tenetur in singulari in rem, etsi locupletior sit: sed in petitione hæreditatis ueniunt consumpti, si locupletior sit possessor. Malæ fidei sine titulo, etiam de percipiēdis tenetur. Malæ fidei cum titulo, à percipiendis solis excusatur. Sed & citra retentionem sumptuum distinguēdum est. Nam bonæ fidei possessor in petitione hæreditatis seruat sumptus utiles & necessarios, etsi res illa in quam impendit non est. Prædo autem non aliter quàm si res non solum est, sed & melior sit: ut. ff. de pet. hæred. In singulari in rem bonæ fidei possessor necessarios seruat, utiles seruabit, maxime si dominus eadem facturus erat, sed quousque pretiosior factus est, etsi plus pretio fundo accessit, solum quod impensum est: aut si fundum receptū dominus uendiderit, idem dicendū est: ut. ff. de rei uen. l. in fundo. Malę fidei necessarios seruat, utiles abradit, sine læsione prioris status: ut. C. de rei uen. l. domum. & ff. de cōdict. indeb. l. si in area. Quod de uoluptuarijs in omni possessiōe seruatur, nisi dominus paratus sit præstare, quantum ille lucratus est, his rebus abrasis. Non enim malitijs indulgendū est. Si uero gratia fructuum etiā impēsæ à bonæ fidei possessore seruabuntur per receptionem, licet fructus non perueniant, prædo

ita demum si fructus perueniant:ut.ff.de peti.hæredi.l.si à domino.§.ult. Quæ sic sunt in actione in rem. Sed si actionem habeam stricti iuris ad id consequendum quod meum non fuit, fructus non consequar, etiam si mora facta sit, nisi post cõceptum iudicium. Si uero bonæ fidei habeam actionem, ut ex empto, fructus consequar, licet lis contestata non sit: ut.ff. de usur.& fruct.l. uideamus.§.si actionem. Legata temen & fideicõmissa, licet stricti iuris sint, admittũt fructus, & post moram usuras:ut.ff. de usur.l. equis. si agatur præiudiciali in rem de ancilla. Nam post litem amplectũtur omnem fortunam matris ante litem nati, sed suo nomine in quæstionem seruentur:ut.C.de lib.cau.l.ult.

PLACENTINI

DE EXPEDIENDIS IVDICIIS, LIBER QVARTVS.



NTER CAETERA STVdiorum genera ars boni & æqui sola obtinet principatum. Eius enim disciplina totius mũdi regitur status, res priuata & publica custoditur, & non solũ humanæ, uerũ etiam diuinę rei gubernatur conditio. Quoniã ipsius autoritate libertas dominatũ, seruitus subiugatur, res iure adquiritur adquisita defenditur amissa recuperatur, iniuria cũ infertur propulsatur, illata per iudicẽ uindicatur, priuati honoratis subijciũtur, deuoti iustis eorũ præceptis subsequũtur, contumaces à seuera animaduersio

puniuntur, milites ad regni tuitionem legitima moderatione muniuntur, Imperator seu nauis iustitiæ gubernaculũ retinet, iudices uelut nautæ officij sui remos exercent, populus quasi nauis ab Imperatore & iudicibus sub rate atque eorum moderamine impetum suum & leuitatẽ coërcet. Quæ quidem ars, testante diuina philosophia, non solum apud terrenum principem omnibus primum, sed etiam apud ipsum sempiternæ gloriæ regem, antiquissimi sui uigoris exercet effectum. Cum enim præuaricator angelus in superbiæ se tumorem erexit, & regi suo partem regni auferre uoluit, quid aliud quàm cogitando crimen maiestatis commisit? & ob hoc sempiternæ mortis, cõmemorem damnationis sententiam pertulit? Et cum primus homo concupiscendo scientiam boni & mali de prohibito pomo comedit, sine dubio crimen ambitus contraxit, idq́ perpetui exilij iustissimam pœnã meruit. Sed quia indulgentia principali restitutus fuit, cœlestem patriam, quasi quandam ciuitatem & opinionem amissam per in integrũ restitutionem recuperauit. Et quia peccando lucrosam hæreditatem repudiauit, damnosam inconsultè adijt, creditori diabolo obligatus permansit. Sed quia non à semetipso, sed à diabolo persuasus per fragilitatem id fecit, quasi imperfectæ ætatis aduersus repudiationem & aditionem in integrum restitutus fuit. Et non in diuina lectione ars ista posita est: sed cum alia ferè cuncta, solo uerbo dei & uoluntate sunt condit[illegible], hanc ipsius creatoris digito scriptam, cõstat Moysi fuisse tributam: & sicut deus per semet[illegible]m eam constituit, sic etiam humanæ menti [illegible]nicorum superstitionem inseruit. Vnde pro[illegible] rempublicam plebs & senatus idololatriæ cultibus deditus, tenenti eius amorem & obser-

uationem, tantæ benignitatis uiam composuit. Artem autem boni & æqui, legem esse, in lib.j. ff. de iustit. & iur. l.j. inuenitur, & claris rationibus patenter ostenditur. Ipsa enim sola, & uitæ honestatem, & sui cuique tributionem iubet, & alteri læsionem prohibet: ut. ff. de iustit. & iur. l. iustitia. Qui ergo tam pretiosæ scientiæ, tam à deo dilectæ, tam omni humano generi necessariæ, eruditione nititur, siue iudex, iudicium cum iustitia & ueritate disponat: siue causidicus sit, iustitiæ defensor existat.

DE LIBELLO CONVENTIONALI.

TITV. I.


SI QVIS DE RE QVAQVE obnoxium quempiam esse sibi putauerit, quo secum ciuiliter consistat, libellum quamprimum conuētionalem cōponat, in quo quod sibi deberi putat, edoceat, spem actionis ædat: ut in authen. de executo. §.j. coll. vij. consti. vij. Vnde hunc libellum nō prius aduersario offeret, quàm in negotij executorē: cautionem exponat sese intra duos mēses proximos litem executurum: uel omne damnum ei, qui cōuenitur, contingens in duplum restituturū, cautione tamen non transcendente xxxvj. aureos. Potest forsan sub hac forma libellus ille cōponi: Legum iustissimarum metuens pœnas, persequi sine iudice rem mihi debitam, atque adeò ad uos scientia iuris, tam subtilissimum quàm benignum accedo, agens cōtra Titium, Fortidianum fundum possidentem, ex uenditione uel traditione ad me pertinentem. Ego Caius hanc postulationem die tali, mense tali contra Titium

depono. Pòst ergo libellus conuentionis factus iudici offeretur: sicq; sportulas, id est salarium & officio suo debita executioni iuxta quantitatem in libello comprehensam, præstabit, unà cū fideiussore iudicio sistendi causa uiginti dierum gaudebit inducijs, intra quos deliberet, aut cedat, aut contendat. Præterea solius iudicis in libello comprehensi audientiam eligat, an ei aliū socium petat, uel in totum quasi suspectum aliū recuset, nisi ille sit, quem ipse alio iam recusato petierit.

DE LITIS CONTESTATIONE.

TITV. II.

POstremo partiū utrarunq; præsentia apud iudicem facta, incipiet iudex per narrationem atque responsionem causam simpliciter audire: sicq; demum lis cōtestata fore credatur: nisi simplex postulatio penes iudicē deposita, aut nō ante iudicium actionis spes sit reo cognita: ut. C. de lit. contest. l. j.

DE PLVS PETITIONIBVS.

TITV. III.

CAueat actor sanè ne plus à reo petat, q̄ sibi debeatur: quod quatuor fit modis, re scilicet, tempore, loco, causa: ut Institu. de actio. §. plus autem. cum tribus. §. sequentibus. Quippe si tempore per dolū plus petierit, Zenoniana coërcitus cōstitutione, in duplū temporis eius præstabit inducias, scilicet uel quas ipse indu sit, uel natura desiderat actionis. Planè nec [illegible] eas finitas, reus aliter suscipiet actionem, q̄ omnes litis expensas ab actore primū acceperit, ut saltem tali metu perterriti litium tempora [illegible]ceantur obseruare actores. Quòd si ex tribus alijs causis per machinationem plus petierit

actor quodcunq; damnum sportularum nomi-ne illi, à quo fuerat petitum, acciderit, tempora-li condemnatione commissa puniatur. Verum hoc ante iudicium exaudias. Sanè si liti præbuit exordium, & in certaminibus negotij perma-nens, uel adiecta falsi quantitate arguatur per Iustinianam constitutionem, non solum in ea, uerumquoque in uniuerso debito defraudetur, nisi reus de hac causa transegerit, uel secundò post biennium cõfiteatur, tantam scilicet se de-bere quantitatem: ut. C. eod. Quibus in casibus citra indeterminatæ censuræ formidinem, suam intendit actor petitionem. Litis ergo contesta-tio contra expositum indultum habita, pro ni-hilo est, nisi consensu partiũ causa fortè mouea-tur, ut in arbitrio fieri consueuit.

DE DILATIONIBVS.
TITV. IIII.

SEd & in ius uocati dilationes petere non-nunquam solẽt: quod qualiter procedat ex-audi. Et quidem si personarum absentium, aut instrumentorum non morandæ cognitionis obtentu, petatur spatium exhibẽdæ instructio-nis, postulatum à iudice dari cõueniet: ut. C. eo. l. j. Sanè qui cognoscit, idem arbitrium nequa-quam intelligat semp sibi fore cõcessum: quin-imò dilationem eandem, si rerum urgentissima ratio flagitauerit, & necessitas desideratæ in-structionis exegerit, non facile amplius quàm semel in pecuniarijs causis reo nouerit esse tri-buendam. Planè in criminibus seu capitalibus causis tres dilationes dantur: accusatori duæ dari possunt, sed utrique causa cognita: ut. ff. de ferijs. l. ult. Dabitur quoque subtili uelamento dilatio, ut si quidem ex ea prouincia ubi lis agi-tur, & de qua persona instrumẽta rei poscit, una

ſcilicet uel duabus manſionibus in medio pro-uinciarũ conſtitutis, ut quatuor menſes dentur noua decreuit conſtitutio. Si uero maius ſit ſpatium, ſed menſes indulgeãtur. Quod ſi ex Palæſtina, aut ex Aegypto, uel gentium longinquarum loco, ſupra dicta petantur, octo cuſtodiri menſes iuſtitia erit. Si uero ex Heſperijs gentibus uel ſeptentrionalibus, uel Lybico tractu allegetur dilatio, tunc tempus ab anterioribus iuris conditoribus taxari, hoc eſt nouem menſium iuſtè indulget: ut in authen. ut om. ob. iu. §. ſed ſi quidem. Si quis autem per ſacrum oraculum ad extraordinarium te uocauerit iudicium omnifariam illi datione præcluſa, tibi ad precum arguenda mendacia dabitur, & proferenda inſtrumenta uel teſtes, cum inſtructus eſſe nõ potuiſti, quod præter ſpem ad aliena trahebaris negotia: ut. C. eod. l. ſi quando. In reſtitutionibus præterea cauſa petetur ab actore dilatio, quæ ſemper ualeat intra metas reſtitutionis arctari, hoc eſt quatuor annorum continuorum: ut. C. de tempo. in integ. reſtitu. l. petendæ. Non poterunt ergo ab eo peti dilationum curricula, huius temporis terminos prorogantia. Verum ſi ſera defenſio dilationis ſuffragium poſtulauerit, quoniam in nullius ſteterat arbitrio quando litigio pulſaretur, ea illi, citra pręfati temporis compendium, adferta cauſa defertur: quoniã ſibi indulta etiã actor pro ſuis inquirendis probationibus uti minime prohibebitur.

DE IN IVS VOCANDO.

TITV. V.

PОrrò breuitatis intuitu, uerboſitate ſcriptorum de in ius uocando neglecta, & de ferijs & dilationibus ſummo quaſi digito

complexus, breuiter nunc dicam de in ius uocando. Sciendum autem est alios in ius uocari permitti, alios uero prohiberi. Horum autem alij prohibentur gratia negotiorum gestorum, alij reuerentia personarum: ut. ff. eod. l. generaliter. Qui prohibentur negotiorum gestorum, uel communis necessitatis causa, aliàs publicè, nõnunquàm uero priuate. Communis necessitatis causa, ueluti tempore messium & uindemiarum propriè, cum cæteri iubeantur esse iuridici. Illos tamen feriarum dies manere fas erit, quos geminis mensibus ad laboris requiem indulgentior annus excepit: ut. ff. de ferijs. Publicè, ut tempore belli. Priuatè, ut tempore nuptiarum, uel funeris cuiusquam: uel si ad iudicium fuerit uocatus: ut. ff. eodem. l. quiꝗ litigandi. Item cum personarum reuerentia in ius uocari prohibeatur, contingit quandoque causa diuini iuris, ut pontifices dum sacra faciunt: ut. ff. eod. l. ij. Aliquando causa humani iuris, & tunc alia publici, ut consules cæterosꝗ magistratus. Interdum iuris priuati gratia, ut parentes, patronos, uxores quoque eorum, quos in ius non uocabis, nisi uenia edicti à iudice fuerit impetrata: nec in ea re rusticitati parcitur, cum naturali ratione honor huiusmodi personis debeatur. Honesta enim & sancta semper parentis patroniꝗ debet uideri persona: ut. C. eod. l. j. & . ij. Cæterum si sine uenia edicti, antefatas personas in ius uocaueris, ex earum querela quinquaginta aureorum pœnam præstabis, uel à præfecto urbis qua inofficiosus castigaberis, si inopia laborare dignosceris. Moderanda planè erit hæc iurisditio, ueluti si te pœniteat & actionem remiseris: uel si parentes patroniꝗ uocati non ueniant, aut si inuiti uocati non fuerint: ut. ff. eod. l. penult. & ult.

DE FERIIS.

TIT. VI.

FErias autem intellige solennes, quas populus Romanus ob diem insignem, uel propter publicam gratulationẽ, seriò sibi constituit, atq; repentinas, quando res feliciter præter spem eueniunt, quarum utrarunq; adijciendarum similem metiris obseruantiam: ut. ff. & C. eod. Feriæ enim repentinæ siue solennes sint, dilationum temporibus non excipiuntur, sed in his modis omnibus continẽtur. In prouocationum quoq; causis huiuscemodi dierum tempora iugiter & sine aditu scias esse numeranda.

OMNES IN IVS VOCATI DEBENT VENIRE.

TITV. VII.

EX quacunq; autem causa ad prætorem, uel ad alios qui iurisditioni præsunt, in ius uocatus debet uenire, ut saltẽ hoc ipsum sciatur, an eius sit iurisditio: quinimò etsi reuocandi domũ ius habet, uenire debet priuilegia sua allegaturus. Si quis autem uocatus, nõ uenerit, ex causa à competente iudice mulctabitur.

QVID FACERE DEBET IN IVS VOCATVS.

TITV. VIII.

VBi autem in ius quis uocatur, satis ab eo uel cautum petatur, aut iurato promittat iudicio sisti, & edicto cauet, ut fideiussor sistendi iudicij causa datus, locuples detur, non tantum ex facultatibus, uerum ex conueniendi facilitate. Locuples autẽ est, qui satis & idoneè habet pro magnitudine rei, quam actor petit esse restituẽdam. In necessarijs autẽ personis qualiscũq; fideiussor pro locuplete erit accipiẽdus,

ut à parente, patrono, uxoribus, liberiſ'ue eorũ, uxore nuru'ue. In eum qui nõ accepit fideiuſſorem, cum ſciret eam neceſſitudinem perſonarũ, quinquaginta aureorũ iudicium cõpetit: ut.ff. ne quis eum quem in ius.l.j.&.ff.qui ſatiſd.cog. l.ij.&.ff.de uer.ſig. l.quos hoſtes. §.locuples. & ff.eo.l.rj.&.ff.qui ſatiſ.l.ſciendum. Sciendũ autem eſt, poſſeſſores immobilium rerũ ſatiſdare non compelli, ſed ſuę tantum promiſſioni committetur. Poſſeſſores autem rerũ immobiliũ eſſe dicũtur, qui in agro uel ciuitate ſoli rem poſſidẽt, uel ex aſſe, uel ex parte. Quo in numero uectigaliũ conductor habetur, cui non eſt abſimilis emphyteuticarius: ut.ff.qui ſatiſd.cog.l.ſciẽdum. Qui autem ſatiſdationi ſe imparem docuerit, iurato promittere debet iudicio ſiſti. Quòd ſi ex cauſa conceſſa deſeruit, deierare non uidebitur. De die autem in tali ſtipulatione ponenda, ſolet inter litigatores conuenire. Cæterũ ſi non conuenit, putat Pedius in poteſtate litigatoris eſſe moderato ſpatio de hoc à iudice ſtatuendo, habita ratione qualitatis cauſæ, & perſonarũ. Hæc, ſi ſuo nomine quis alium in ius uocauerit.

DE PROCVRATORE ACTORIS, TITV. IX.

OMnibus qui ſuo nomine actionẽ habent, procuratoris dandi ius tribuit facultatẽ, ubi profectò & alia deſideratẽ inſpectio: & quidem ſi à parte actoris interuenit procurator, & de mandato conſtet, ſiue apud acta factus fuerit, ſiue pro præſente interuenit, cum cautione de rato iure aget, ratumq; iudex habebit iudicium, licet ipſo procedente noluerit dominus ipſum eſſe procuratorem, mutata ſua uoluntate. Quinimò ſententia lata ſi fuit ei, qui petierit ſolutũ, ipſi, id eſt domino erit inutilis, aduerſus

quem

quem egit procurator, actio, siue per exceptionē rei scilicet iudicatę, si fuerit ipse solutus, quē con ueniebat procurator: ut. ff. rem ra. ha. Sanè si de mandato dubitetur, aut id probandū est, uel certe de rato cauendum, sicq; litem supradicto exequatur ordine. Vnde si mandatū nō interueniſſe constet, etiamsi satisdare paratus sit, procul à limine iudiciorum pelletur. Exceptis quibusdam personis, ut sunt liberi, parentes, fratres, & affines, liberti quoq;, quibus etiam, si de mādato dubitetur de rato cautio minime remittit. Sic itaq; mandatam litem procurator actoris sine impedimento perducet, licet in ipso exordio defensionis allegatio fuerit ei ab aduersario opposita. tunc enim satisdationem, pro exequenda lite defensionis præstare cogetur, qua non procedente, litem sibi madatam iustus iudex minime procedere sinet, ut. ff. eo. l. Pōponius. §. ult. & l. sed & hæ. & ff. de libe. cau. l. j. & ij. & iij. & iiij. & ult. de appella. l. non tamen. Pœna enim non defendentis procuratoris est, ut denegetur ei actio, ut ff. eo. l. mutus. §. pœna. & C. eo. l. actionem domino. Tali autem satisdatione præstita, omnifariā defensionis suscipere iudiciū cogitur, nisi ad agē dum causa cognita recusauerit, tunc enim sustinet ob rem nō defensam stipulationem cōmitti, ut. ff. eo. l. si filius. §. ult. Porrò si ab initio nō fuerit hæc desiderata defensio, diffinito iudicio, procurationem ultra extendere procurator non cogetur, nisi probationis causa sufficit susceptam implere.

DE PROCVRATORE REI, TITV. X.

SEd procurator rei uel defensor nullo in mandato habito delectu, etiamsi sub gestorū testificationę fuerit factus in ipso limine litis,

iudicatum ſolui ſatiſdationem in omnibus cauſis præſtare cogitur: ut. C. eo. l. exigendi. &. C. de ſatiſda. l. j. Quippe alienæ litis nemo ſine ſatiſdatione defenſor idoneus inuenitur: qui quidẽ omnibus modis ad accipiendũ iudicium compelletur, ſi pro ſe ſciente & non contradicente dominus iudicatũ ſolui ſtipulationem fecerit: quod ſi aliter factum fuit, inſcium procuratorẽ cogi ad litigãdum ſatis inciuile eſt. Cõmittitur ergo ob rem non defenſam ſtipulatio: præterea & in alio caſu cogitur iudicium accipere, ſi ſponte ſcilicet iudicatum ſolui ſatiſdederit, defendendi abſentis gratia: ut. ff. iudica. ſol. l. ſi ad defendẽdum. & Inſti. de ſatiſ. §. ſi uero aliquis. &. ff. eo. l. ſi mĩor. §. ulti. &. l. & ſi. &. l. non uidetur. Cogetur ergo ſemper in hoc caſu iudicium accipere, ſi captio ſit actoris propter temporis tractum. Verum ſi actor non capiatur. Sabinus ait nullas eſſe parteis prætoris ad cogendum, ſed ob rem nõ defenſam ſtipulatio cõmittetur. Imò ſi iuſta cauſa nõ defendendi allegetur, puta directa affinitas, nouæ inimicitiæ, longa'ue procuratoris peregrinatio, cum iuſtas cauſas, cur iudicium accipere noluerit, habuit, nec fideiuſſores eius tenebuntur. Eſt autem procurator, qui negotia aliena mãdato domini adminiſtrat. Geſtor autẽ qui ſine mãdato, qui negotiorum geſtorum, ille mandati tenetur: ut. ff. eo. l. mutus. §. ult. cum duabus legibus ſequentibus. &. ff. de procu. l. non cogendũ. &. ff. eodem. l. prima.

DE PROGRESSV SIVE ORDINE IVDICIORVM.

TITV. XI.

SIc deniq; ſuo uel alieno nomĩe ad futura [illegible] gia lites poſſunt ordinari. Videamus e[illegible] qualiter ipſi procedant, & quod cauſa ſ[illegible]

pliciter ab utraq; parte sub iudice narrata, non aliter actorem siue fugientem, litis exercere certamina permittit, nisi iureiurando propter calūniam præstito, etiam prius quàm actorem iurare disponit, non se calumniandi animo litem moue re, sed bonam causam æstimādo se habere: ut. C. de iureiur. prop. cal. dando. l. ij. Et quod nihil iudici dedit uel daturus est, & quod nullam exiget probationem de eo, quod uerè allegatum fuerit. Consequenter & reus non aliter suis utetur alle gationibus, nisi prius iurans quod putans se uti bona instantia, ad reluctandum peruenerit: ut in authen. ut litigan. iur. §. j. col. ix. cōsti. v. Adijciet quoq; tam actor quàm reus nullam exacturum probationem in tota lite, nisi quam pro ueritate putauerit quis necessariò exigendam. Quo subsecuto partium erit actoris actionem proponere, propositamq; fundare, adsertas allegationes probando. Sed & rei partium erit negare: uel si cōfitēdū putauerit, soluere, uel exceptionē oppo nere, eāq; probare, ubi reus actor efficitur: ut in authen. de ijs qui ingre. ad ap. §. fi. col. v. cōsti. xj.

DE EXCEPTIONIBVS.

TITV. XII.

VErum in ea re sic distingue, intētione acto ris proposita: Reus de ea uel certus est, uel dubitat. Quod si certus est, aut scit eā desecturam, quo casu nulla est sibi nec iusta defensio necessaria. Si uero de hac confitendo exceptione se munitum asseueret, de hac tamen agi conueniet. Cæterū si, de ea dubitans reus, in initio litis suā contestetur defensionem, & tunc demum cū intentionē suam secundū asseuerationē quam petitor probauerit, huic esse locū monstrari conueniet; ut. C. eodem. l. siquidem. Sed enim

exceptionũ,alia temporalis eſt & dilatoria,alia perpetua & peremptoria, ut de pecunia non numerata, eo quod ſemel à creditore in querimoniam deducta, nocet perpetuò, retro autem biennalis eſt,ut.ff.eo.l.exceptiones.& Inſtit.eodem. §.appellantur. Eſt autem temporalis & dilatoria quæ nocet ad tempus, ipſaq; dilationem tribuit,qualis eſt pacti conuenti, cum ita conuenerit,ne intra certum tempus ageretur,ueluti intra quinquennium. Præterea ex perſona quoq; dicitur exceptio dilatoria, qualis eſt procuratoria, ueluti ſi per militem aut mulierem experiri quis uelit,uel etiam defendi, quam profectò in initio opponi,probari uero poſtquam actor monſtrauerit quod aſſeuerat oportet:ut.C.de prob.l.exceptio. Sanè hoc ſic exaudio,ſi de intentione dubitauerit reus: quod ſi certus eſt, de ea ſola agi cõueniet. Amplius quæ dilatoria ex perſona uenit,ſemper litis conteſtationis tempore opponẽda eſt. Perpetua & peremptoria,quę ſemper agẽtibus obſtat, & rem ſemper de qua agitur perimit,& quacunq; parte litis dummodo antè ſit, iure poterit opponi, qualis eſt doli mali exceptio,& quod metus cauſa,& pacti conuenti perpetui. Præterea omnes exceptiones rei cohærentes ad interceſſores quoq; conſtat extendi, quibus reus integro manente ſtatu eſt munitus. Ieſſias enim cum bonorum adempta parte exulare iuſſus eſt,pro alia duntaxat parte creditoribus erit obligatus,cæterum qui pro eo fidem adſtrinxit,inſolidum conuenietur, ut.ff.eo.l. exceptiones.§.rei cohærentes, &.C. eo.l. defenſiones. & ff.de fideiuſſoribus.l. ex perſona. & Inſti. de replica.§.ſi.&.ff.de re iudi.l.& ſi fideiuſſor. Eſt autem exceptio conditio, quæ modo eximit reum à damnatione, modo minuit damnationẽ, ut.ff. eo.l.exceptio. Et competit ex tribus cauſis, quia

factum sit quod fieri oportuit, ut rei uenditæ & traditæ, aut quia factũ non sit quod fieri debuit, ut bonorum possessionis non datæ exceptio, litem forsan ordinario iudice nõ contestante, aut quia factum sit quod fieri non oportuit, ut doli mali, uis metus, ut. ff. eo. l. exceptiones.

DE IVRAMENTO ADVOCATORVM.

TITV. XIII.

MEminimus quoq;, quòd & disertissimi aduocati sacramentum legitimum præstabunt, quod cum omni uirtute sua, omniq; ope, quod iustum, & uerum existimauerint, clientibus suis inferre procurent, ut. C. de iudi. l. rem non nouam. §. patron. Nihil studij relinquentes, quod sibi possibile est, nõ autem credita sibi causa, cognita quod improba sit, uel penitus desperata, & ex mendacibus allegationibus composita, ipsi scientes prudentesq;, cũ mala conscientia liti patrocinabuntur. Quin uero & si procedẽte causa aliquid tale sibi cognitum fuerit, à causa recedãt. Hodie autem nõ esse dico aduocatos, sicut nec milites, eo quod ex aduocatorum numero non sunt, qui protractu nõ adfuturi causis, accipere quid solẽt, ut. ff. de uarijs & extraordinarijs. l. j. §. aduocatos. Praeterea quod in unoquoq; foro olim certo numero taxabãtur patroni, & tempora intra quæ nemo ad eius fori patrocinium poterat adspirare, exceptis filijs decedentium, qui quidem, si studijs & facundia essent eruditi, sine quadam suffragij solutione solitas epulas percipiebãt: præterea quòd omnes in matriculis cõprehendebantur, & officio deposito iure clarissimi ordinis comitatus poterãt perfrui dignitate. Quorũ omniũ hodie nihil est, ut

C.de aduo.diuer. iud.in posterioribus legibus. Suffragatores sanè hodie dicentur, qui quidē ob reuerendā uicē sui suffragij, aliquid sibi dari fieri'ue paciscūtur:atq; hoc forsan uelamento præfatum aduocatorū iusiurandū declinātes, quod quo ad uerba eos facere posse cōcedo:planè quo ad sententiā fortius hi iurare cōpellūtur,qui sua abutentes licentia mendacijs omnino, & fraudibus inuicem momentum subuertere noscuntur.

DE HONORARIIS ADVOCATORVM. TITV. XIIII.

RECipiebant autē aduocati pro suo studio honoraria:aliàs de publico,& tūc nihil sibi eo nomine a parte capere licebat: aliàs de partibus, iudicis admisso arbitro. Nimirū in aduocatorū honorarijs ita uersari iudex debet, ut pro modo litis,proq; aduocati facūdia,& fori cōsuetudine,& iudicij in quo erit, actoris existimationē adhibeat,dūmodo licitū honorariū quantitas non egrediatur: ut.ff.de uar. & extraord.cog.l.j.§.in honorarijs.Licitū autem honorariū intelligitur in singulis causis usq; ad centū aureos.Quod si ultra hūc modū sub nomine honorariorū immensa atq; illicita compendia suæ depræhendantur æstimationi prætulisse,ab hac professione placuit eos penitus arceri. Ad curā præterea suā reuocabūt aduocati,ut quod causa exposcit,peragāt,ab iniuria tēperantes.Si qs em̄ adeò fuerit procax,ut nō rōne, sed probris putet esse certandū,opiniōis suæ imminutionē patiet.

DE OFFICIO IVDICIS. TITV. XV.

IVdicis quoq; hoc erit officiū obseruandum: nempe illius erit, ut in adeundo se facilē præbeat,sed se contemni nō patiatur.Aduocatos

quocp petētibus indulgere debebit, imò quibusdam personis ultrò aduocatos dabit: hoc est nullo petente, ut fœminis, pupillis, & alijs fortunæ iniurijs laborātibus. Itē curet iudex, ut sit ordo postulantiū: hoc est, ut omniū desideria audiantur, ne fortè dū honori postulantiū datur, aut improbitati cōceditur, mediocres sua desideria nō exponāt: ut. ff. de præs. off. l. obseruandū. Præterea qualitate plena inquisitione discussa, utrancp partē sæpius interrogare debebit, ne quid noui addere desiderent: ut. C. de iudi. l. iudicijs. Quod si principali quæstioni, alia quæstio seu præiudicans, seu nō, incidit: tūc, & si aliàs de ea cogniturus nō esset, poterit quocp & de ea cognoscere. Pertinet enim ad officium iudicis, qui de uniuersitate cognoscit, uniuersam incidētem quæstionem examinare, & de ea proferre sentētiam: nec mouet quod ad suam iurisditionē non pertinet de tali quæstione quærere, eo quòd nō de ea, sed de hæreditate pronunciat. Nec erit iudici dubitandum, si quid allegationibus eorum qui negotio præfuerunt, minus dictum fuerit, supplere & proferre, quod sciat legibus & iuri publico conuenire. Is enim iudex iustitiæ est, qui, quod nouit, iudicat. In criminali sanè discrimine, nisi quis legitimè conuincitur, omni iure meritò sententiam diffugiet; tametsi res aliter se habeat, & iudex ueritatem cognoscat.

DE OFFICIO ACTORIS.

TITV. XVI.

Actor autē, quod intendit, probare debet, & suis & iuri cognitis probationibus. Quippe nec iuris, nec ęquitatis ratio sibi permittit aliena instrumenta inspicere, sed exaudi quando suæ petitionis originē ex instrumētis eius qui conuenitur fundare desiderat. Cæterum

sua intētione fundata, defensioneq́; deposita reus replicando est factus. Placuit autem ut actor ab initio, sit ex postfacto reus factus ratione exhiberi, à quo iure petitor desideret, quo suæ replicationis fides possit constare. Quod si ab exordio litis probationes non habuit actor, qui cōuenitur obtinebit, & si ipse nihil ꝓbauerit. Porrò ipsa rei qualitas suadet, ut reo excipiēte rationes actoris iure promi sibi desideret, quibus se instrui iure contendit: siue priuato, siue publico nomine conueniatur: ut. C. de eden. l. ult. Aequū est eñ controuersiā te faciēte alicui, eius causam tuo documēto finiri: ut. C. de edē. l. qui accusare.

DE TESTIBVS.

TITV. XVII.

PRobabit autem, quod probaturus est, testibus & instrumētis, de quibus diligēter proponemus. Et quidē testes alij uolentes non admittuntur, ut liberti cōtra patronos. Item infames & redēpti: ut. C. eo. l. libertorū. & ff. eod. l. inuiti. alij uero non cogūtur, sed uolentes audiūtur: ut senes, ualetudinarij, Episcopi qui propter loci religionem inde se mouere non possunt. Itē magistratus & milites, qui publicis actibus adstringuntur. Cæteri etiam inuiti compelluntur, cum sit publicum quasi officium. Publicè nanq; interest omnium hominū beneficijs adfici: ut. ff. eo. l. inuiti. Sanè si non obtemperauerint testes, Labeo scribit coërceri eos à prætore debere: ut ff. de tabu. exhi. l. locum. §. hoc interdictum. Sed eos testes ad ueritatem iuuādam adhiberi oportet, qui omni gratiæ & potentatui fidē religioni iudiciariæ debitam possint præponere: ut. C. eo. l. eos testes. Adhibiti uero testes priusquam aliquid dicāt iurisiurandi religione debēt arctari: ut. C. eodem. l. iurisiurādi. Plures quoq; eos esse

oportet. Pluralis autem locutio duorũ numero contenta eſt, niſi numerus teſtiũ lege taxaretur, ut in teſtamentis & codicillis. Rogatos autẽ teſtes adhiberi uelut in teſtamentis, nouo iure cauetur: ut. ff. eo. l. ubi numerus. &. C. qui teſta. hac cõſultiſſima. in prin. &. §.). &. l. fi. &. C. de codicil. l. fi. &. C. ſi cert. pet. l. fi. Fortuito enim, & ex trãſitu prohibita teſtimonia nulla modis omnibus ratione ualere oportet: ut in authen. de teſtibus. §. & licet dudũ. Sanę ad fidem rei geſtæ faciendam, & non rogatus teſtis iutelligitur, puta in rem meam, ab alio damnũ dari tranſiẽs uidiſti: ut. ff. eo. l. ad fidẽ. Quòd ſi ultrò citroq́ teſtes adhibentur, ea quæ à dignioribus fide & pluribus dicta fuerunt, iudex pro ſuo motu admittit. Sed ſi aſtu magis, quàm ueritatis obtentu in cõtrarietatẽ inciderint, immunes eos à ſupplicijs iudex nõ derelinqt, imò uerũ eis imponet experimentũ, ſiue per ſe, ſiue per eum qui adminiſtrationem habuerit, ſiue magnificentiſſimũ prętoris apparitorẽ: ut in authen. eo. §. ſi uero ignoti. Teſtium aliàs dignitas & autoritas, aliàs uero conſentiens fama cõfirmat rei, de qua quæritur, fidem. In ſumma nequaquam ad teſtiũ multitudinem reſpici oportet, ſed ad ſynceram teſtimoniorum fidem & teſtimonia, quibus potius lux ueritatis adſiſtit: ut. ff. eod. l. teſtiũ. §. eiuſdem. & ff. eo. l. ob carmẽ. §. ſi teſtes. Quòd iudex, diſcuſſis omnibus quæ in reſponſis & conſtitutionibus cauent, magis ſcire poterit, quàm ulla iuris poſſit diſciplina doceri, uel in perpetuũ definiet. Præterea ſumptus teſtibus ſunt præſtandi ab his, qui eos producendos putauerint. Vnius autem uox nullatenus ad probationem admittetur, etſi quanlibet præcepta dignitate præfulgeat, licet ad præſumptionem nonnihil momẽti poſſit adferre: ut. C. eo. l. quoniam. & C. eo. l. iu

risiurandi.&.ff.de re mil.l.nō omnes.§.à barbaris.& authē.de instr.cau.& si.§.si uero moriant.

DE INSTRVMENTIS.

TIT. XVIII.

ITem instrumenta species probationis sunt: autoritas quoque, propter publicam fidem, maxima est. Publica autem instrumēta sunt, quorum omnium conditio par est: sed & quædā priuata dicuntur, hoc est propria manu emissa: quæ quidē aliās attestationes, hoc est sine testibus composita, quibus simpliciter omnino credi ius nō patitur, ubi alia quoq; adminicula inueniuntur, quæ erūt uel unius testis uox, uel forsan autoritas, dignitas personæ, proferēs quoq; nonnihil causæ præstat momenti: hoc quidem ita, si talia proferat instrumenta quæ nulla uituperatione sint digna. Cæterum si propter mandati uitium suspecta cognitioni fuerint, nō ipse sibi cum his ueritatem adstrinxerit. Proinde qui talia in iudicio prompserunt, eos uelut nefariæ scripruræ reos, quasi falsarios detineri constitutio de probationibus iubet: ut.C.de proba.l. instrumenta. Quòd si non iudici, sed parti contra quam est instrumentum prolatum, eius instrumenti fiat suspitio, siue criminaliter, siue ciuiliter de eo experiri uoluerint, indultam sibi habēt licentiam. Iudex uero, qui crimini falsi præerit, intentiones actoris falsas & crimina reorū conuicta, competentibus pœnis ex legibus debebit ulcisci. Adstringent autem instrumentorum ueritatem, qui hæc exigūt testibus si possunt, usq; adeò, ut solius tabellionis confessio, qui & illud confecisse dicitur, instrumentum est suæ causæ de qua agitur: uel quia fidei monimentum imponat. Quòd si tabellio defunctus fuerit, nec adnumerator illius instrumenti, ne'ue qui illud

ſcripſit,exiſtat, tūc quaſi ad ſummum refugium uenient ad comprobationes literarū quaſi aliorum, quando dubium eſt ab eodem fuiſſe tabellione cōfectas:ut authē. de inſtru. caut. & fi.§.ſi uero moriantur. cum.§.ſequentibus.Debēt autem eſſe hæ literæ,è quibus per comparationem probatio ſumitur: uel forenſes, hoc eſt in foro apud iudicem confectæ, quæ aliàs acta uocantur:uel publicæ,hoc eſt p manū publicam,id eſt per tabellionem confectæ. Item ex his literis, quibus aduerſarius tuus utitur, recte petes examinationem fieri, ac tuas literas per eas probari. Item ex literis,quæ depoſitæ ſunt in archiuo, quæ teſtimonium habent publicum, recte tuas literas probabis. Ex chirographis autē & alijs inſtrumentis, quæ non ſunt publicè confecta, comparationes ad meas literas fieri non poſtulabis,niſi habeāt talia inſtrumenta ſubſcriptionem trium teſtium probatæ opinionis, hicq́ eis fidem imponant per iuſiurandum eorum, aut omnino trium ſcilicet, aut omnino duorū: ſicq́ fiunt his modis comparationes. Sed non aliter fient, quàm ſi is, qui eas fecit, prius iurauerit, quòd,neque litis cauſa,neque inimicitijs,neque gratia tentus huiuſmodi cōparationes fieri deſideret. Inſtrumentorū autem nomine ea omnia continentut, quæ cauſam inſtruere poſſunt: ut C.de fide inſtru.l.comparationes. §. omnes autem comparationes.

DE SENTENTIIS.

TITV. XIX.

VBi autem ſic ſufficienter fuerit actitatum, ut terminus cauſæ certa poſſit fieri coniectura, tūc poſtrema ſententia iudicis, qđ ibi liqueat, declarabit,ueritatē ſequēs, & legū pariter rationes & iuſtitiæ ueſtigia obſeruans

quod ei uisum fuerit iustũ, quæ quoq; suo comprehendet sacramento, cũ destinati sibi cinguli honorarios præcipit codicillos. Sic enim pronũciabit, ut aliorũ quoq; uitium non imitetur, qui nõ bene in simili fortè negotio causam diremerunt: quod nõ exemplis, sed legibus sit iudicandum: ut authen. iusiu. quod præsta. ab ijs qui admi. acci. §. iuro ego. &. C. de sent. & interl. l. nemo. Pronũciabit autẽ si arbiter fuerit, uel iudex forsan ordinarius, ut nequaq; subitò, sed deliberatione habita, postea negotij sententiam penso formet consilio, & emendatam statim in libello omni secuta fidelitate conferat: ut. C. de sent. ex peri. re. l. hac lege ꝑpetua. Scriptura quoq; partibus præsentibus proferat, nisi breues lites sint & maxime uilium causarum: ut authen. de man. prin. Hæc autẽ omnia per seipsum expediet, nisi fuerit fortè publico uel illustri decoratus honore, quibus per officialem quoq; suũ licet recitare sententias. Præterea si per procuratorẽ de causa cognouerit, nõ habebit sua sentẽtia rationẽ sine procuratore, si dominum litis, qui in iudicio nõ fuerit, condemnauit, uel absoluit: ut. C. de sen. & inter. om. iu. l. j. Caueãt autem quod utiliter sententia absolutionem uel condẽnationem contineat, ad absolutionem uero semper sit pronior, lege tamen suggerẽte: alioquin iniusta habebit sua sentẽtia. Debebit autem omnis condẽnator certam comprehẽdere quantitatem, ut iudicati autoritate nitatur: sanè certa erit quãtitas comprehensa, siue uocabulo expresso expresse dicat iudex: condemno te, siue hoc neglecto omnẽ debiti quantitatem, cum usura competenti soluere iusserit, si in aliqua parte actorũ certa sit quãtitas comprehensa: ut. C. de senten. quæ sine cer. quant. l. nec sententia. Sed illa sententia rata est, qua reipub. indemnitatem præstare iussit. Certa

eſt omnino quantitas qua reſpub.indemnis ſeruatur,& poterit in hunc modum ſententiam dictare: Ego Hugo cognitor cauſæ, quæ uertitur inter Titiũ & procuratorem ſororis ſuæ, audītis utriuſqꝫ partis allegationibus,& teſtibus uoluntatis defuncti examinatis,& prout decet auditis,inito cõſilio prædictum Titium à petitione procuratoris,& ipſius ſororis abſoluo.

SI PRO INTERESSE SENTENTIA FERATVR.

TIT. XX.

VBi autem pro eo, quod intereſt, fueris laturus ſententiam,in his caſibus qui certã habent quantitatem uel naturam, ueluti uenditionibus,locationibus,omnibusqꝫ cõtractibus minime dupli quantitatem excedẽtibus, ſingerem ueditã decem, ſi non tradam, iure me condẽnabis in uiginti, quod intereſſe circa rem dicitur. In alĳs uero caſibus, qui incerti eſſe uidentur,iudex qui cauſam dirimendam ſuſcepit, per ſuam ſubtilitatem requiret, ut,quod re uera damnum inducitur, hoc reddi efficiat: puta ire Capuam,foſſam fodere, uel inſulam ædificare. Lucius Titius mihi promiſit nec fecit,aut certe tignum uitioſum,pecuſ'ue moboſum mihi uendidit.Idẽ Lucius Titius & domus mea corruit, uel cætera capita ſunt cõtagione perempta. Itẽ iudex inteteſſe quod incertum eſt, ad certitudinem reducere debet, quod intereſſe & in lucro & in damno conſideratur.In damno,cum amittimus quod habemus. In lucro, cum amittimus qđ acquirere potuimus.Si uero ſpecies uel quãtitas petitur, non debet intereſſe quantitatẽ dupli pretĳ excedere, niſi ſpeciali conuentione interueniente,ultra duplum promittatur. Quo in caſu exceptioni replicatio pacti cõuenti obĳci

tur:in posterioribus sanè casibus, sciente atque ignorante ratio uenditionis habebitur, ut eatenus teneatur, quatenus emptor minoris fuisset empturus:alioquin præstabit detrimēta quæ eo nomine traxerit emptor, quod interesse præter rem dicitur:ut.ff.de acti.empt.l.Iulianus. Iudex autem, postquam semel sententiam dederit, quo ad eam causam, iudex desistere desinit, nec latā sententiam sibi rescindere licet, etiam si prætor fuerit. Reliqua uero quæ ad consequentiam iam statutorum pertinent, priori tamen sentētiæ desunt:ueluti de die solutionis pecuniæ cōdemnatæ, uel fortè de litis expensis, in quibus plerunque uictus uictori condemnatur, adijcitur iudicē eodem die debere supplere circa condemnandum reum uel absoluendum. Paulus respondet, quod iussit uetuit'ue prætor, contrario imperio tollere ac remittere potest, licet de sentētijs cōtra:semel enim male aut bene officio suo functus est: ut.C.de iudic.l.properandum.§.sin autem.&c.ff.de re iudi.l.quod iussit.&c.ff.eod.l.iudex.

QVALITER EREMODITIVM CONTRAHATVR,

TIT. XXI.

EXaudiat hæc cum utraque pars presens litis terminum expectauit. Nam si alteruter litigatorum cessauerit, uel iustæ sententię diffidētia, uel quod magis suum aduersarium multiplici dilatione fatiget, hoc nec existimet sibi futurum impune. Cæterum eremoditium, id est desertum iudiciū hoc tenore cōtrahetur. Quam ob rem si actor post litem contestatam cessauerit, ita quod triennij metæ ab ea ipsa cōtestatione numerandi, iam prope finem ueniant, ut scilicet semestre tempus supersit, tunc parte fugiente, hoc est reo postulante, iudex cessantem actor

rem ternis literis edictis'ue ad sui præsentiã faciendam commonere faciet, & triginta diebus intra unum edictum & aliud iure authenticorũ intermittendis. Quòd si sic quoq; nec per se, nec per procuratorem, sui præsentiam faciat, tũc iudex apud se acta confecta conspiciens, si ad terminum causæ nihil sufficiẽs inueuitur actitatũ, reum præsentem ab obseruatione iudicij relaxabit, omni cautela, quam super lite iudicij sistẽdi causa exposuit, ei reddita, id est remissa, & actore nihilominus sibi condẽnato in omnes expensas, quas circa eam litem fecerit, fugiẽtis sacramento declarandas. Quòd si iura plenæ diffinitionis per gesta penes se confecta iudex inuenerit, tunc quoq; eremoditiũ cõtrahetur, ita scilicet, ut si meliorem causam absentẽ actorem habere prospexerit, pro eo ferre sententiã non moretur: uerum in hoc casu expensas quas præsens fecerit litigator de ea condemnatione deducet, cum aliàs generaliter cauetur uictum uictori in expensas condemnandum. Quòd si inferior est actor, tunc præsens reus absoluat, nulla spe litis eidem absenti propter suam cõtumaciam relinquenda, siue reus condemnetur, siue absoluatur. Hæc statuta intelligas, cum reo præsente actor post litem cœptam contumaciter se absentauerit. Retro uero si reus abfuerit actore pręsente & postulante, similis eius requisito per ternas procedat literas. Deniq; si nec sic se præsentauerit, ut ignotus præsenti actori esse apparuerit, illum iudex condemnare non cesset. Satisfiat autẽ sententiæ per traditionem possessionis rerũ absentis præsenti factam, iuxta eiusdẽ sententiæ emolumentum, ita quidem, ut in hoc casu omnis ei reuerso cõtradictio denegetur, siue proprietatis, siue possessionis nomine, eo quod fuit aliquando pręsens. Cæterum si ipse in iudicio nunquàm